

Fichte!
Re 2000 an
dis hanc re-
gress alium.
dis quam
numerus so-
latis immi-
nenti est
nupti consim-
pus iudicio





32
568
D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII

IVRIS CONSULTI ET ANTECESSORIS
IN ACADEMIA IULIO-CAROLINA

LIBELLVS SINGVLARIS

DE

**REVOCANDIS TAM REBVS
ALIENATIS QVAM NVM M IS
SOLVTIS IMMINENTI AVT MOTO
CONCVRSVS IVDICIO.**



HELMSTADII,
TYPIS ET IMPENSIS IOANNIS HENRICI KÜHNLIN
ACAD. BIBLIOP. MDCCCLXXVII.



HERMANNI
VITAE ET OPERUM
SACRUM ET PROFANUM
EXPOSITIO

Diss. Jur. Rom

563 - 587.

Fricke - Gasser.

568 - 592.

L. 23.

25.

St. ~~XXX~~

VIRIS

MAGNIFICO SVMME VENERABILIBVS
PERILLVSTRI ILLVSTRBVS
IVRIVM CONSVLTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS EXCELLENTISSIMIS
AMPLISSLIMIS

PRO-RECTORI
CANCELLARIO PROCANCELLARIO
CAETERISQVE OMNIVM ORDINVM
PROFESSORIBVS ET DOCTORIBVS
ACADEMIAE EBERHARDINO-CAROLINAE
FAVTORIBVS ATQVE AMICIS

OMNI QVA PAR EST CVLTV SVSCIPIENDIS
FELICITATEM PERPETVAM

ALBERTVS PHILIPPVS FRICK

YRIIS

WEGNICO SUMME VENERABILIAS
PHRILIASTRI-ILLUSTRIAS
IURIA MOCATITIUS
EXPERIENTISSIMIS EXCERTUENTISSIMIS
AMPLISSIMIS

PRO-RECTORI
CANONICARIA TO ACCORDIARIS
CATHERINA OMNIA ODIUM
PROCESSORIUS ET DOCTORIUS
ACADEMIAE FERDERICIANAE GALLINAE

ATVATORIAE ATQVE AVICAE
OMNIA EVA CIVITATIS VENDEO
MANUS IN MUNITIONIBVS

REGIA PHILIPPIA PICTA

Magnificum opus esse, fatebiimini **VIRI MAGNIFI-**
ci, si Principes eo tempore condunt literarum,
vniuersarumque artium, domicilia, quo ipsorum sub-
diti Martem et arma spirant, barbarie horrent, ac
non culpa ingeniiorum, aut coeli adisperitate, sed vi-
tio temporum ignorant omnes disciplinas, quae ani-
mum cultiorem reddunt, a rerum humilium studio
deducunt, ad veram religionem, ad mores egregios,
ad excellentem magnarum rerum cupiditatem vocant.
At amplioris adhuc munificentiae opus est, si, qui
academiarum conditoribus succedunt, Principes nullis
curis et laboribus parcunt, vt melior firmiorque quo-
tidie surgat musarum sedes; si in hac conseruanda,
et beneficiis nouis exornanda, non minorem ardorem
ostendunt, quam qui condendae academie fuerat
ante; si bonis praecipue doctoribus optulantur, prae-
mijs alliciunt, auctoritate protegunt.

Si vero tali academiae, quae, senectute sacra,
celebritate maxima instaurat memoriam natalis secula-
ris, ac iure gloriatur, suam dignitatem nunquam
fuisse imminutam, sed se potius, nutritorum gratio-
forum tutela, et vel inter ipsas procellas saluam,
laetissimis gauisam fuisse perpetuo auctibus, et am-
pliori foecunditate effloruisse; si, inquam, tali aca-
demiae acclamandum est solemnii illa formula, qua
veteres gratulabantur felicem recursum eius diei, quo
quis lucis usuram primum haurire coepit, *bodie natae*
salue! aut fallor, aut non modo fas piumque est, ho-
dierno die eadem formula Vestram Academiam ita
alloqui, *Eberhardino - Carolina bodie natae* *salue*, sed
etiam Vos ipse ter quaterque felices dicendi estis.

Videtis enim, et, quod res publica literaria in
universum laetatur, laeti hilaresque videtis eum diem,
quo ante trecentos annos **DIVVS EBERHARDVS**,
cuius nomen aeternis gentium seculorumque laudi-
bus celebrabitur, eo consilio Vestram Academiam
condebat, magnificisque priuilegiis instruebat, vt di-
ram barbariei noctem, quae Sueiae, imo universo
orbi, tenebras plus quam cimmerias influxerat, disper-
seret; vt, quae inertie blanditie inter ciuiles procellas
et vastationes terrarum siluerant, Musae filere desi-
nerent; vt tandem profligaret diuinorum et humana-
rum

rum rerum ignorantiam, quae ciues foeditate adeo
inquinauerat, ut procul iustitia Laestrygonum instar
incultam, ac ab omni pene ratione alienam, egerint
vitam. Laeti hoc seculari die venerabimini omnium,
qui per tria secula regnarunt, Principum excelsam
memoriam, quod opus a DIVO EBERHARDO
fundatum augere, exornare, ac se veluti Academiae
Vestrae susceptores, tutores ac vere alteros parentes
palam profiteri voluerint. Deuota mente adorabitis
Numen Diuinum, quod sacra haec secularia incident
in eam aetatem, qua adfectu plane singulari et cle-
mentissimo Academiam Vestram excipit non minus,
ac eandem, inter arduas de Wirtembergicarum di-
tionum salute cogitationes, in partem curarum ad-
sciscit, et, quae ad Academiae Vestrae salutem, in-
crementum, ornamentum spectant, studio paterno
prouidet SERENISSIMVS ET CELSISSIMVS
CAROLVS, DVX WIRTEMBERGIAE ET TEC-
CIAE CLEMENTISSIMVS, qui et futuris seculis in
annalibus Tubingensibus audiet Magnus Stator Lite-
rarum: Felix Conseruator Studiorum: Musarum omni-
um Defensor Gratosus: Alter Academiae Tubingen-
sis, sed Maior Priore, Fundator, Instauratorque Fe-
licissimus. Est vtique albus hicce dies, quo Acade-
miae Vestrae conseruationem per tria secula recorda-
bimini, iucundior et illustrior natali ipso, quod fa-

lutis diutissime retentac certa sit laetitia, natalis conditio incerta.

Laetitia, quam persentitis **VIRI MAGNIFICI**, laetitiam adfert omnibus, qui e variis Europae regionibus ad Vestram Academiam, tanquam ad mercatum bonarum artium, eruditionis comparandae causa concesserunt, et doctrinae cultu bonique moris laude locupletati iam aut domi, aut peregre, honesta, humanaeque societati salutaria vitae genera, ornant. In Vestri secularis gaudii communionem veniunt, votiviasque acclamations Vestris plausibus iungunt omnes, qui voluptatem inde percipere solent, si intelligunt, nullam esse doctrinae illustrioris partem, cuius dilucide docendae explicandaeque in Vesta Musarum sede per tria secula ratio non fuisset habita. Exultant boni omnes honestique simul Vobiscum, qui laetitiam hanc publicam in parte diuini cultus, quo Deum tot bonorum largum datorem honoramus, recipitis.

At quid? Egone in tanta et in publica laetitia excludar a voluptate, quum tamen mihi tam felici esse contigerit, vt Vester conterraneus sim? Egone non gaudeam, quem tamen cum pluribus ex incluto Vestro collegio cognitionis, et, dicerem, (ni hoc ipso anno F. W. Tasingerus eruptus fuisset morte forori meae

meae dulcissimae, eius liberis, mihique, nimis matura —
Cubet molliter — At cur voluptatem Vestram interrum-
po memoranda re tristi?) adfinitatis vinculum arcte
iunxit? Egone parum exultem, quem **VOS, VIRI CELE-**
BERRIMI, in amicitiam recepistis, quum ex umbraculis
Musarum ad peregrinationem, via ad prudentiam
vsumque rerum certissima, progredirer? Nec id lae-
titiae natura, nec amor in ~~communem nostram pa-~~
~~triam~~ permittit, quem semper retinebo, licet regio-
nes mutauerim. Ipsa haec vrbs, quae mihi hodie pro
patria est, me vel soplum, vel immemorem mei
ipsius, e somno educere, et, quid in tam laetis sacris
pium deceat Sueuum, in memoriam redigere potest.

Tuearis, ita igitur Vobiscum vota ad aram Dei ser-
vatoris nuncupo, tuearis, o Deus benignissime, Aca-
demiam Eberhardino-Carolinam, ac felicem fortuna-
tamque praestes, vt in hoc bonarum mentium domi-
cilio impietas et ignorantia nauiter destruatur; vt
honestas contra et eruditio in dies pulchrius efflo-
rescat; vt semper prodeant animi, qui, doctrina bo-
nisque moribus instrueti, diuinae maiestati tuae, quan-
tum maximum debent, habeant honorem, qui patri-
am ornent, qui ament propagentque sapientiam, nec
quicquam, nisi quod pium et cum laude coniunctum
est, prompti alacresque sequantur.

Scribere



Scribere desinerem, ni huic voto addendae es-
sent preces. Permittatis nempe, **VIRI MAGNIFICI**,
vt, inter votiuas acclamations, Vobis verecundissimam
reuerentiam declarem libello hoc, Vestris Nominibus
dicato. Si huius libelli non eruditionem, sed animum
offerentis, Vobis tenerrime sacrum, respicietis; si pro-
babitis ea, quae litteris mandaui; si fauebitis meae
industriae; si, optime Vos esse animatos erga mea
studia, significabitis: ego me, quae ruruna sunt, omnia
consequutum esse, putabo.

Stockholm

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ALBERTVS PHILIPPVS FRICK.

Scribere et non scribere his, uti audiunt, lucidis temporibus;
mei praesertim ordinis et loci hominibus, quos periculis
est, quotidianis ac pene domesticis docemur exemplis.
Quum enim nullum prope oppidum reperiatur, quod non ha-
beat, ostendetque criticos clamosos et impigros, quumque
nulla academia sit, quae non, suo arbitrio et nutu famam
exterorum augeri minuue, credat: ex his, qui suis scriptis
optimarum artium studia magis magisque excoli animo ge-
stunt, vix unum alterum reperies, qui non queratur, se
ex insidiis peti, aut cuniculis actis suam nominis famam
euerti ab acerbis et nigrae bilis censoribus, vel etiam
a legione fulminatrice, puta, magistellis imberibus, qui
iocis fauent, sententias sequuntur, iisdemque cognoscendis,
dum tempus non utiliter fallere sibi videntur, male perdunt.
Quis insuper est, qui nesciat, audire illos male, et ab
omnibus, doctis aeque ac indoctis, ignaviae accusari, qui,
dum erudienda iuuentute stipendia merentur, satius esse ar-
bitrantur, semper delitescere tuto, quam tantum periculi,
edendis scriptis, adire? Cogitanti mihi, quid agendum esset,
in mentem veniebat HORATII monitum

Singula de nobis anni praedantur euntes.

Audeamus igitur, dum audere haud dedecet, et caueamus,
ne, dum deliberamus, quid scribendum sit, scribere iam se-
rum sit. Opusculum itaque conscripturus, si non elabora-
tione, materia saltē tibi, lector benebole, placere decreui.

X 2

In-



Incidimus scilicet in illa tempora, quibus debitorum, dicam, an creditorum vitio salus rei publicae non consistere posse videtur, sed potius agitatur fluctibus quasi publicis. Dum periculum est, fore, ut iusto citius foro cedat debitor obaeratus: creditorum vigilantissimi, precibusque mansuescere nescientes, urgunt aut nummos restituendos, aut paratam executionem. Alii in rebus agendis natura tardiores, vel etiam negotiorum multitudine impediti, initio quasi dormitant; postea vero, quam sibi praereptos esse nummos aliis restitutos vident, de illata iniuria queruntur, et ad actiones conuolant, reuocaturi et res alienatas, et nummos restitutos, imminenti aut moto concursus iudicio. E re iuuque esse, ducam, si ulteriori disquisitione inquirerem, quatenus vigilantes credores obstricti teneantur in commune conferre, res aut nummos, quos in fraudem reliquorum restitutos acceperunt. Dignitatem thematis nec pluribus nec paucioribus verbis amplectii iuuat. Quisque bac in re suo facile abundat sensu. Dum autem viri, qui eam demum, quae lucrando pani et reculac augendae inseruit, veram et genuinam iuris scientiam clamitant, deprehendent exempla, quibus unam alteramue thesin illustrare annitebar: verendum omnino est, ut ne illud MARONIS

--- animum pascit pictura inani
mibi occinant, et damment has meditationes, tanquam lascivientis ingenii lusum. At ingenuae fateor, omnes clamores et conuicia magno animo contemnam, neque animi mei tranquillitatem hilaritatemque ollo modo cuiusquam veteratoris, vafri, callidi, et versuti calumniatoris malitia perturbari patiar. Quid? quod illud in summa laude ponam, conatus meos Principibus viris non penitus displicuisse, quos unice rogatos velim, ut me meliora docendo aeri suo reddere velint obnoxium. Docilem me experientur et gratum. Valete. Scrib. Helmst. d. IX. OCT. ccccclxxvii.

LIBELLUS SINGULARIS
DE

REVCANDIS TAM ALIENATIS REBV^S,
QVAM NVMMIS SOLVTIS, IMMINENTI AVT
MOTO CONCVRSVS IVDICIO.

I.

Quid sub nomine concursus creditorum veniat, indicatur.

Quo sanctiorem legem mihi met ipse olim dixeram, vt in quauis scriptura typis, atramento illitis, imprimenda, quantum fieri posset, non modo stilus, verissimus animi index, plane compositus, perspicuus, elegansque adpareret; sed vt etiam cauerem, ne vocula, elegantia romana longe indigna, aures palatumque lectoris beneuoli sensu minus grato pungenter: tanto magis nunc erubescendum mihi est, quod ipse ego, nomotheta scrupulosus, latae legis terminos transgrediar, ac in ipso limine, vbi tua gratia assentationis artificio quaerenda erat, et vel ipsis musis indignantibus, exhibeam binas voces, a puriori idiomate plane alienas, et cuiusuis ciuis romani manes, si

A modo

modo ad tumulum cineresque recitarentur, dubio procul inquieturas. Si coniectura aliqua duci licet ad suspicandum: primarii viri, aetate ac meritis graues, augurabuntur, integrum scenae paratum idiomate barbaro deformem fore, quum ipsum proscenium oleat culinam. Rogandus igitur es quam studiosissime, ut veniam impertias rubro nec suavi, nec vinulo, quod expressit communis dicendi consuetudo, cui proin mos erat gerendus. Placido vultu excipe inscriptionem, non ad pompam ornatam, aut cerussa eloquii tintam, sed propemodum neglectam. Animosse sustine concursum creditorum, tam motum, quam imminentem, horrida verba a), eademque excogitata a viris, quorum nomina forum perstrepunt quotidie, ac qui insuper, quoties possunt, et Donatum et Priscianum quasi data opera offendere religioni non ducunt. In eo curam omnein collocare cupio, vt, si non dictionis elegantia placeant, quae scripsimus; tamen argumentorum grauitate sese commendet nostrum opusculum. Simile saltum non erit chartulis circumforaneorum nostrantium, ultra hodiernas corrumpendorum ingeniorum bellas scientias sapere non audentium, qui titulis venditare solent, quod in ipso opere non praestant.

Itaque primo omnium mentem oculosque aduertas, volo, ad contemplationem definiendi concursus creditorum. Plerique, illius nomine venire, affirmant, iudicium vniuersale inter credidores et eorum debitorem communem coram iudice competenti institutum. Sequerer, ne quid diffitear, finitionis datae auctores, si modo aeque aliud posuissent genus, ac omisissent verba, et eorum debitorem communem. Incongrue, vt ego quidem arbitror, pro genere adsumunt iudicium vniuersale. Nam vniuersitas haec est demum effectus huius iudicij b). Qui insuper paulo curatius considerat ea, quae quotidie eueniunt, is

a) Vide AVG. ALEYSER *Medit. ad Dig. sp. 478. med. I. et GEORG. HENRI AIRET Diff. de Poena praeclus. in concurs. credit. sect. II. membr. I. §. I.*

b) Conf. IVST. HENN. BOEHMERI *Diff. de Pacllo Remiss. §. 2. in EIVSD. Exere. ad Dig. tom. V. p. 605.*

is fatebitur, saepius, conturbatis rationibus, debitoris obaerati non modo fortunas, sed etiam victimum amictumque sub Praecone cum dedecore subiici, licet ipse diu antea, quam Praetor iudicat de debitoris patrimonio aerumnoso, aut fuga quaerat salutem, aut etiam cippus virtutes ipsius loquatur, nec tamen causarum orator, debitoris aut fugitiui, aut demortui vice, respondeat creditoribus delusis. Accidit igitur non raro, ut desideretur certamen inter creditores, et eorum debitorem communem, licet nihilominus adsit iudicium concursus creditorum. Quae quam ita sint; huius iudicij nomine venire, arbitror, certationem plurium creditorum coram eodem iudice de constituendo liquido et protopraxia consequenda.

II.

Divisiones iudicij concursus creditorum adducuntur.

Eo tempore, quo debitor scire incipit, opes non sufficere ad dissoluendum aes alienum, dicimus, imminere concursum debitorum. Parum, imo nihil refert, an tunc plures creditores, illo duntaxat excepto, cui debitor obaeratus de mutuo restituendo fuerat gratificatus, vel coram Praetore, vel extra iudicis tribunal instant debitori obaerato, et solutionem petant? an vero periculi fraudisque inscii non postulent, ut mittantur in ipsius possessionem rerum.

Nasci e contra, siue moueri, concursus creditorum dicitur, quando certamen esse incipit inter creditores, de liquido et protopraxia litigantes. Si vero paulo curatius nosse aues temporis periodum, qua incipit iudicium, de quo est sermo: deprehendes, hanc quaestionem esse maximi momenti, sed etiam controversam. Alii enim configiunt ad flebile cessionis beneficium, lege Iulia introductum c), quo debitor, iniuria temporum, a-

A 2

lioue

c) Legi Iuliae nos debere beneficium cessionis docent ANDR. ALCIATVS Par. lib. II. cap. XLVI, FR. HOTOMANNVS Elem. Ant.

Rom. p. 284, DES. HERALDV de Rer. Iud. Auctor. lib. II. cap. XV. f. 1283. tom. III. Thes. Iur. Ciu. b. EV. OTTONIS.

lioue maioris impetus infortunio, in paupertatem incidens d), omnia bona creditoribus relinquit, vt his, quoad fieri posset, satisfaciat, carceris taedium, neruosque, et omnem aliam poenam euitet, quae alioquin decoctores fraudulentos manent e).

A tali

d) Obiicis forsitan, debitores, non tantum iniuria temporum bonis exutos, sed omnes ac singulos, ad columnas, in quibus statuae Principum erant, tanquam ad saluis portum configere, et sic se subducere potuisse creditorum feueritati, adeoque non eguisse cessionis beneficio. Prouocas capropter ad testimonia allata a IVL. RABIRIO de Haſtar. et Auction. Orig. et Rat, quem GEORG. GRAEVIVS dignam indicabat, vt inferret Theſ. Ant. Rom. tom. II. At dubium hoc me non dimouet a defensa sententia. Qui enim se, circa columnas Principum, occultabant: hi non liberabantur a debitibus soluendis. Ni probassent, se fortunae vitio lapsos esse, damnabantur ab Imperatoribus, secundum iuris rigorem: tametsi caeteroquin non abnuerim, statuas istas, ad quas configiebant, obaeratorum corpora vindicasse a creditorum iniuria.

e) Acris est controvērsia, an legibus XII. tabularum permīssum fuisset, debitorem, qui soluendo non erat, vincere, necare, vendere? an etiam, quando plures creditores adherant, potuissent, debitorem seccare, et corpus inter se partiri? an vero lex ista XII. tabularum, quae,

capitis poena et sectione in debitores obaeratos animaduerti, inbebat, explicatione esset mitiganda? Illud, testimonio QVINCILIANI Inst. Orat. lib. III. cap. VI. et A. CELLI Noct. Attic. lib. XII. cap. I. fidens, nostra adhuc aetate defendebat AVG. a LEYSER Med. ad Pand. sp. 474. med. 2. Hoc vero tuerunt CORN. BYNCRERSHOECKIVS Obslur. Rom. lib. I. cap. I., CHR. WAECHTER. RVS Opusc. p. 464, IOH. GOTTL. HEINECCIVS Synt. Ant. Iurispr. illubranti lib. III. tit. 30. §. 4., et, qui omnes hos, me quidem iudice, in detegendo sanctionis decemviralis sensu superabat, IOH. TAYLOR Diff. ad L. Decemviral. de Debitor. Inve in partes sequentia, quae inserta legitur, DAN. FELLENBERGII Iurispr. Anteinst. tom. I. Si igitur auctoritatibus certandum: dubii haefitamus, quam sententiam sequanur. Iniqua magis placet ob antiquorum, eorumque plurium testimoni, numerum. Egomet autem argumentis TAYLORI, atque minori sententiae lubens subscripto. At cur quaeſo antiquas Romanorum leges iusto diligenter rimor? Laudandi enim potius sunt maiores nostri, apud quos inde a canis tem-

A tali bonorum cessione initium moti concursus creditorum o-
lim cum FRANC. SALGADO DE SAMOZA f) repetebat DAV.
MEVIUS g), et, ut alios taceant, WOLFF. AD. SCHOEPFFI-
VS h). Sed, ut dicam, quod res est, damnant et carpunt non-
nulli hanc doctrinam. Satin' recte? Omnino. Saepe enim, ec-
quis rerum peritus neget, saepe, inquam, iudicium, de quo
loquor, esse incipit, licet debitor creditoribus bona non cedat?
Quod quum ali animaduerterent: initium nostri iudicii adesse,
statuebant, vel quando curator bonorum constitutus sacra-
mento deuincitur, -obaeratusque debitor a bonis administran-
dis excluditur i); vel quando creditores, defendendis suis for-
tunis, infortunio debitoris attritis, fortunas coguntur impen-
dere, ac ea propter vrgent solutionem, cui impar est debitor k).

A 3

Sed

temporibus ysu receptum erat, vt
debitores, nominibus extinguen-
dis impares, iudicis sententia cre-
ditoribus in seruitute addicte-
runt, donec operis, aliae ratione
expungebant debita. Vlstrata erat
talis addicatio in seruitute iam
Francorum aeuo. Elucet id e
prisca capitularibus. Euolusas
Corp. Iur. Germ. a PETR. GEOR-
GISCHE editum, p. 661. Iungas
Spec. Sueu. cap. CXXX. et Spec.
Sax. lib. III. art. XXXIX. Si
nosse cupis sententiam, qua olim
tales debitores damnabantur: a-
deas quaeo IOACH. POTGIES-
SERI Comm. de Stat. Seru. vet.
et nouo, lib. I. cap. I. §. 19. Quae-
dam leges recentiores seruarunt
ius antiquum hac in doctrina sar-
tum tecumque. Vide IOH. RUD.
ENGAVII Diff. de Addic. Debit.
in man. credit. §. 22. et IOH.
FRID. KOBIL. Comm. de Pecun.
mutuat, tuto colloc. cap. III. §. 25.

Defecerunt autem et aliae leges ab
huius iuris rigore, aliasque poenas
subornarunt. Euolusas, si luet, Or-
din. Polit. de ann. 1548. tit. XXII.
in IOH. HENR. de SENCKEN-
BERG Corp. Rec. Imp. tom. II.
p. 600. et Ordin. Polit. de ann.
1577. tit. XXIII. §. 2. ap. EVNDEN
tom. III. p. 392. Haec eruditæ,
id est, secundum huius lucidae
tempestatis gustum, obiter.

f) F. SALGADO DE SAMOZA
Labyrintho Credit. part. I. cap. IV.
§. 1.

g) D. MEVIUS Dec. part. VI. dec.
103. sq.

h) W. A. SCHOEPFFIVS Dec.
part. II. dec. 243.

i) Ita sentiebat GOTTH. BOENIGKS
et in Dig. p. 100, et in Practica
practic. cap. 38.

k) Vid. MICHAEL HENR. GRIEBNE-
RI Princ. Proc. Iudic. lib. II. cap.
IX. §. 1.

Sed aestuat, nescio, quo ardore animus meus, nec se iam continere potest, quin dicat, et hanc doctrinam dignam esse reprehensione. Non raro enim iudex ipse creditorum caussas cognoicit, decernitque iudicium 1), de quo est sermo, licet nullus efflagitauerit. Quae quum ita sint; me non reprehendes, si repetam huius iudicij exordium a die citationis emissae, simulque cum BARTH. BLARERO m), MATTH. BERLICHIO n), GOTTE. BARTHIO o), ANDR. GAILIO p), FERD. CH. HARPFRECHTIO q), A.D. LAVTERBACHIO r), SAM. STRYCKIO s) aliisque dicam, terminum, in talis citationis formula definitum, vim praeccludendi creditores non comparentes haud habere, si modo statuta singularia aliud non velint. Ut vero initium moti iudicij concursus creditorum a die citationis emissae reperam, me plura mouent. Etenim iudicium hoc sortitur effectus vniuersales. Puta inducit litis pendentiam. Impedit ulteriore solutionem ac oppignorationem a debitore instituendam. Operatur communionem inter creditores. Trahit ad se quasuis caussas. Corpus igitur esse, qui quis rerum peritus fatebitur, ut quidam actus vniuersalis fundamenti loco ponatur. Is actus vero citatio esse debet, utpote quae est omnium iudiciorum fons atque origo.

Mo-

- 1) Non paucis haec doctrina displicet
At inique. Iudex enim decernit
hoc iudicium, si debitor moram
committit, nec docere potest, se
soluendo esse, SAM. DE COC-
CEII *Contrav. Iur. Ciu. qu. XIV.*
de priu. credit.; aut si fraudator
fuga salutem quaerit, aut diem
supremum obit, nec tamen quis-
piam illum defendit, BALTH. a
WERNHER *Obf. vol. IV. part. V.*
obf. 87.; aut si nec tempus, nec
finem impensarum facit, W. A.
SCHOEPFFIUS *Tr. de Proc. V-*
nil. cumpromis contum. sect. IV.
§. 1., BVRCKH. BARDILI *Diff. de*
Iudic. Concurs. Vniu. cap. II. §. 4. sq.

- m) B. BLARENS *ad L. diffamari.*
cap. II. n. 23.
n) M. BERLICHIVS *Dec. part. II.*
dec. 206. n. 20.
o) G. BARTHIVS *Holog. For. cap.*
III. §. 20.
p) A. GAILIVS *Obf. lib. I. obf. 57.*
n. 8.
q) F. C. HARPFRECHTIVS *Conf.*
Tubing. vol. II. conf. LX. n. 265.
r) A. LAVTERBACHIVS *Conf.*
Tubing. vol. II. conf. XLVII.
n. 79.
s) S. STRYCKIVS *ad IAC. BRVN-*
NEMANNI Proc. de Concurs. Cre-
dit. cap. II. §. 2.

Motum denique concursus creditorum iudicium aut tangit vniuersum debitoris obaerati patrimonium, aut concernit tantum modo partem bonorum. Inde vero deteges rationem, quare abeat in vniuersale et particulare concursus iudicium t). Hoc nasci, constat, quando, vt alias species omittam, vel lis est de re pluribus oppignorata; veletiam quando debitor bona, in diuersis territoriis sita, possidet, ac iudex exterus iudici domicilii, vniuersale concursus iudicium instituere anhelanti, denegat auxilium u).

III.

Moto concursus iudicio vniuersali, ademtam esse, docetur, debitori obaerato facultatem alienandi res suas.

Soleant gratiiora esse, quae foris aduehuntur, et, quum vi-
lescant quotidiano vsu domestica, nouitate sui animos detinet,
quicquid exoticum est. Ex occidente transmissi plittaci adue-
nis χαιρε, χαιρε, acclamantes; ex oriente vasa, confecta ex argilla
candida et pellucida, argenteis longe meliora; e septentrione
ferarum molles exuviae in deliciis habentur. Alii graecorum et
romanorum utensilibus inhiant, veluti lychnis, fibulis, peluibus,
securibus, balistis, scorpionibus, vrnis. Hic felicitatis suae
partem, putat, allatis ex alia coeli plaga canibus imperare, aut
simius, aut felibus. Iftius e contra frontem rugae arant, et
excandescit, si tori socia dapibus opiparis exstruere omittit
mensam ornatam plicatis linteolis, varias figuras redditibus,
positisque super panem flavi coloris, et simul instar punicum
intus perforatum; aut si eadem illa famelicis conuiuis adponere
non curat obsonia rariora, veluti perdices, adipe porcino ad
gitum vsque eminente stipatas, et crusta satis scitula vestitas; ostrea,

ad

t) Discrimen, quod inter vitrumque
hoc iudicium contpicitur, curate
indicarunt t. G. SCHAVMBVR-
GIVS Princ. Prax. Iurid. lib. II.
cap. VIII., et w. A. SCHOEPPFI-
VS Diff. de Conc. Creditor. Partie.

u) Euolus FRID. ES. PVFFEN-
DOEFFII Obs. Iur. Vniu. tom. I.
obs. 217. et DAV. STRUBENII
Rechtl. Bedenken tom I. p. 281.

ad exemplum Laurentii Martyris flammis vſculata, cydoniorumque succo adspersa; gallum Indicum, exuberant pinguedine tumidum, ac nascenti apperitui opportuniorem, quam stomacho, aut etiam huic comitem adjunctum, puta, vituli lumbum, maximum semper et palmare mensae stabilimentum; salmonem, stomachos, carnium saturos, noua alimonia recreantem; hiannulos, lento motu apud ignem succinsum ita tostos, ut succum, pretiosiorem sui partem, non amitterent; vinum vel usque ab ultima aut Hungariae, aut Galliae ora magnis sumitibus arcessitum, quale sapit canonis, votum Libero Patri facie tibus, quorum, de vini cana aetate, et suavitate saporis iudicantium, sententiam sequi mauult Apicius noster, quam de fide aut dogmatibus pronunciantium. Si vero hac ratione unus alterue homuncio, iusto delicatior, luxu et libidine integrum patrimonium non minus, ac nummos perplures alios creditos opinione citius dissipat, et, conturbaris rationibus, discit, beta, lactucis, oleribus, legumine, caseo, a qua contentus esse, et emendicatas necessariorum mensas obire; aut si is, cuius libido in comparandis crepundii aliunde allatis nullum finem fecerat, opinione citius exerit mensam, et bona creditoribus cedit: num quaeſo talis decocto, coepio vniuersali concursus iudicio, res suas alienare poterit? num creditor vigilans nummos, post coepitum concursus iudicium, acceptos retinebit? an vero e contra reuocari poterit, quod debitor obaeratus, post cessionem bonorum insequitam, alienauerat, aut etiam unius alterius soluerat? Tantum, me quidem iudice, abest, ut debitor obaeratus, post coepitum concursus iudicium vniuersale res suas alienare, aut sortem creditam creditoribus restituere possit, ut potius optimo iure impugnerit eiusce generis alienatio, quando adpareret, patrimonium debitoris non sufficere, ut et reliqui creditores creditam pecuniam recipient. Quam primum enim iudicium, de quo sermo, esse incipit: omnes et singulas res debitoris obaerati litigiosas fieri, docet et vel ipsa finitio de moto concursus iudicio, quam tecum communiſt. Volunt vero iubentque leges w), ne, lite pendente, res in iudicium deductae in alium transferantur. Quae quum ita sint: se.

w) L. 2. C. de litigioſ.

sequitur, debitorem obaeratum, coepto concursus iudicio vniuersali, destitui facultate, res in alios transferendi, alienandique.

Ne deesse, putes, alia argumenta, iungam et aliam rationem e iure ciuili penitam. Quoties nimirum fertur sententia de uno alteroue creditore mittendo in bona debitoris obaerati: toties quibusuis creditoribus ius in re, puta, pignus praetorium constitutum censemur, quod ipsis initis auferri nequit. Audias ea propter VLPIANVM ita differentem^x),

Qui vero post bona possessa debitum suum recepit, hunc in portionem vocandum, exaequandumque caeteris creditoribus: neque enim debuit praeripere caeteris post bona possessa, quam iam par conditio omnium creditorum facta esset.

Loqui jurisconsultum, fatebitur quilibet, de creditore, debitum suum recipiente, post factam missionem in bona debitoris, quem is ea propter in portionem vocari, exaequarique vult caeteris creditoribus. Spero, fore, qui aegre non feras si, vt eo melius noscere possis rationem, qua allata decisio innititur, si, inquam, paucis attingam praecipuos effectus legitimos, expectandos e missione in bona debitoris obaerati.

Primus eo sese excerebat. Scilicet creditores, qui ex iudicis sententia ibant in possessionem bonorum debitoris obaerati, nanciscebantur ius praetorium. Hac ratione consultum iri, credebant veteres, securitati creditorum. Inde vero deteges rationem, quare talis missio in debitoris obaerati bona non modo in legibus nostris veniat sub generali nomine missionum, quae fiunt rei seruanda causa y), sed quare etiam humanius esse, dixerit diuus IUSTINIANUS z), vt et in praetorio pignore daretur recuperatio creditori, quo cumque modo possessionem amiserit, siue culpa sua, siue non, siue casu fortuito. Id ipsum vero pignus praetorium non tribuerat creditori, in possessionem missio, ius paulo pinguis praे creditoribus reliquis. Par enim omnium

^{x)} L. 6. §. 7. D. quae in fraud. creditor. 1 et 5. pr. D. quib. ex caus. in poss.

L. 51. D. de re iudic.

^{y)} L. 7. §. 2. D. de suspect. tut., L. z) L. 2. C. de praetor. pign.

omnium erat, teste VLPIANO, conditio, nullo inter creditores seruato ordine, si modo iusto tempore impetrassent missionem in bona a). Praeceptum iuris, cuius vigore iura vigilantibus essent scripta, nec non reuocari posset a creditore, qui debirum suum recepit, tam diu saltim valebat, quamdiu missio creditorum in bona non erat facta. Quare is, qui e praetoris decreto iuerat in possessionem bonorum debitoris obaerati, non sibi, sed omnibus possidere dicebatur, quibus obnoxius fuerat debitor obaeratus b),

Qui hunc, VLPIANI aeuo, e missione in bona debitoris obaerati expectandum effectum excipiebat, finis alter conspiciebatur in iure distrahendi vniuersum debitoris patrimonium. Hoc ius, quod creditores consequerantur, indicare videtur CICERO exclamans c), magistri sunt et domini, qui, qua lege, et qua conditione debitor pereat, pronunciant. Si omnibus non poterat in solidum satisfieri: petebant a Praetore creditores, ut decerneret, qua ex parte singulis soluendum foret. Formula, tunc adhiberi solita, teste THEOPHILO d), huius tenoris erat, ὁ ἀγράψων, ὅτι τοῖς κατέτωστ (λόγου χάριν) ἔχει ἀπογείρασθαι εἰς τὸ θύμον τῶν χρεῶν, haec, verbigratio, quicunque emerit, creditoribus in partem dimidiam eorum, quae ipsis debentur, respondere debet.

Sed

- a) Vid. ERNST CHRIST. WESTPHALE Syst. Erlaut. vom Pfand-Recht. cap. III. §. 44 sq. Mequidem non fugit IAC. CVIACIVM Obs. lib. IV. cap. 30, IOH. VOETIVM Comm. ad Dig. lib. XX. tit. JV. n. 28. et IOH. IAC. WISSENBACHIUM Exercit. ad Dig. part. I. disp. XL. lib. 8. aliosque perplures alios hanc regulam ad istos tantummodo restringere, qui eiusdem erant tituli, sive qui eandem petendi causam habebant. At parum recte, ceu animaduertebat LUD. CONR. SCHROEDERVS Op. de Nat. et Effect Pign. Praetor. sectl. §. 12. b) L. §. 2. D. ut in poff. legat. c) CICERO Orat. pro P. Quinct. c.

50. Caeterum etiam is vocabatur magister, quem creditores vendidis talibus bonis praeficiebant. Euoluas ea propter FERANDI ADVENTENS. Expl. lib. II. cap. 30. apud OTTONEM l. c. tom. II. p. 598, et CAR. SIGONII de Ant. Iure Pop. Rom. tom. II. libr. I. c. 18. Quidam nostrum magistrum, at inique, confundunt cum curatore bonorum, poutannotarunt EDM. MERILLEVS Obs. libr. VI. cap. 37, et IOH. WEND. NEVHAUSIVS Diff. ad L. Petilliam de Obaerat. Debit. §. 12. d) THEOPHILVS Paraphr. Graec. Inst. tit. de Success. sublatis, que siebant per bonorum venditiones §. 64.

Sed quiuis, et vel me non monente, adfirmabit, hanc formulam tunc demum vsu venisse, vbi vniuersum debitoris obaerati patrimonium addicebatur vni tantum personae, quae elogio bonorum sectoris e), ornabatur, ac tanquam successor honorarius a debitoris creditoribus conueniebatur f). Si vero non vniuersum debitoris patrimonium vni addicebatur, sed potius auctio singularium rerum insequebatur: statui tunc solebat, qua ex parte pretii, e bonis distractis comparati, singulis creditoribus soluendum esserg). Haec ergo tametsi sūciperetur venditio bonorum debitoris obaerati: intacta tamen remansit par omnium creditorum conditio, VLPIANI aevo regnans, nec sublata etiam fuit constitutionibus caesareis.

At video, te contrahere frontem, et accedete PETR. VANDERANO h), AD. LAUTERBACHIO i), MATH. WESENBECKO k), aliisque adffirmantibus, diuum JUSTINIANUM voluisse et iussisse l), vt tantummodo *creditor pro mensura debiti declarati mitteretur in possessionem*. Quare dubio procul, e tua doctrina, missio vnius creditoris in bona debitoris obaerati nec caeteris creditoribus proderit, nec par euadet conditio creditorum non missorum, nec proin debitor priuandus erit iure suas res alienandi, etiamsi vonus alterue in ipsius bona impetrasset missiōnem. Verum, vt ingenue fatear, nullus pertimesco dubium allatum. Contra enim putant SCIPIO GENTILISM), VLR. HUBERVIS n), EMM. GONZALEZ TELLEZO) IUL. PACIUS

B 2. a BERI-

- e) Vide CLAVDII SALMASII L. i) A. LAUTERBACHIVS Coll. Th. de Modo Usurar. cap. XVIII. p. 830 Praet. tit. quib. ex caus. in possess. et FRANC. POLLETI Hisp. Fori Rom. libr. II. cap. 2. k) M. WESENBECKIVS Paratit. Dig. tit. cod.
- f) Conferas, si placet, IANI a COSTA Comm. ad Inst. tit. de succ. 1) Nov. L. III. cap. IV. sublatris, quae siebant per bonor. in) SC. GENTILIS de Iurisdict. libr. I. cap. 24.
- g) Ita colligo ex L. vlt. D. de curat n) V. HUBERVIS Praelet. ad Dig. bonorum. tit. vt in poss. legat. et fideic. §. i.
- h) P. VANDERANVS Comm. de o) E. GONZALEZ TELLEZ Priuul. Credit cap. XVI. n. 18. Comm. ad Decret. I. II. r. VI. n. 12.

BERIGA p) MATTH. STEPHANI q), HERM. VULTEIUS r), IUST. HENN. BOEHMERVS f), at quanti viri! Hi non fuisse, dicunt, diuo IVSTINIANO eam mentem, vt tolleret missionem in vniuersum patrimonium debitoris obaerati. Nec est dubium, quin doctissime ita senserint. Etenim nouella hac sua constitutione mihi obiecta praefinire voluit legislator optimus bonis debitoris obaerati distrahendi certum modum. Nam videbatur ipsi ius antiquum iusto durius, vi cuius creditorem, in bona debitoris obaerati missum, quandoque gauisum fuisse, vidimus, facultate distrahendi vniuersum fraudatoris patrimonium, idque aliis addicendi, quum tamen experientia edocetus sciret, quod non raro, bonis quibusdam tantummodo diuenditis, creditores suos nummos creditos recipere possent. Rigorem huius iuris, secundum aequitatis regulas, temperabat diuus IVSTINIANVS, et subiecta clausula, secundum mensuram debiti declarati, effectum alterum missionis in bona respiciebat, vt, si quando debitoris bona voci praeconis subiicienda forent, non vniuersum patrimonium vendoretur, sed vt distractio illius in posterum tantummodo fieret pro mensura debiti declarati. Nec tollebat igitur missionem in bona debitoris obaerati, VLPIANI aeuo visitatam; nec volebat, vt, post factam missionem in bona debitoris, par non esset creditorum conditio.

Si vero ob hanc parem omnium creditorum conditionem, quaे post missionem in bona debitoris adest, iste creditor in portionem vocandus, exaequandusque est reliquis creditorib us, qui post bona possessa debitum suum recepit: quid impedit, quo minus, inde sequi, dicamus, coepio iudicio, de quo est sermo, ademram esse debitori obaerato alienationem rerum suarum, et iure reuocari, quod post inchoatum concursus iudicium vnu alterue recepit. Quam conclusionem dum legis: dubio procul me erroris redargues, quod annis fueram, hanc quaestione principiis, e latifundio iuris romani petitis, componere. Siae enim, clamitabis, spectamus formam et rationem iudicij con-

- p) I. P. A C I V S a BERIGA Isag. in Dig. r) H. VULTEIUS Disc. Schol. c. 3.
tit. vi. in possess. legat, vel fideic. f) I. H. BOEHMERVS Iure Profeſſ.
q) M. STEPHANI Comm. ad Nov. Eccl. libr. II. tit. XV. §. 3.
p. 360.

concursum creditorum; siue cogitamus missionem in bona debitoris apud Romanos visitatam; siue ponderamus classes creditorum, curatoris constitutionem, citationem edictalem: haec omnia, dices, vnumquemque docere, iudicium, de quo loquor, multum differre ab illa iustitia, quam Quirites adoptarunt, adeoque quaestionem hanc magis e moribus diiudicandum esse, quam e doctrina missionis, apud Romanos visitatae, in bona debitoris romani. At haec omnia me non dimouent a sententia mea. Nam iudicio concursus creditorum moto inter creditores oritur communio, non quidem simpliciter talis, id est, quae omnia iura inter creditores, exuta cuiusque praerogatiua, exaequat, ac eos, qui forte iure praelationis gaudebant, aequales reddit creditoribus hypothecarii et litteralibus; sed potius communio secundum quid talis, hoc est, quae facit, ut, dilata usque ad finem iudicij exactione, quiuis creditorum expectare teneatur, donec super iure prioritatis instituta est cognitio atque sententia lata. Haec aequalis inter creditores suborta conditio efficit, ut nulli creditorum solui queat. Quid? quod actiones motae post motum iudicij concursus suspenduntur, adeo, ut, tametsi sententia ante coeptum hocce iudicium lata debitori iniungeret solutionem, nihilominus executio differenda sit t). Num quae-
so, ita te interrogo, num ex aliis argumentis, ac ex illis, quae doctrina missionis in bona debitoris obaerati suppeditat, haec deducere auderes? Vix credo. Ego saltim non alium fontem adeundum esse, opinor, sequutus hac in re duces IAC. BRVN-

13

B 3

NE-

t) Temperare mihi nequeo, quin ad ducam exemplum, quod attulit D A V. GEORG STRUBEN Rechtl. Bed. part. IV. Ita sicut, weil nach entstandenem Concurs kein vorhin anders rechtkräftiges Urtheil exequiret werden mag, und in selbigem auch Exceptiones altiris indaginis wider liquide Forde rungen zu admittiren sind, überdem zur Zeit des abgegebenen Amt be schiedes bereits viele Gläubiger auf ihre Bezahlung gedrungen, und der

Schuldner außer Stand gewesen, sie zu befriedigen, mithin zu deren Nachtheil niemanden etwas zu erkennen werden mögen; liquidant auch ad Concursum prouocaret hat, so ist derselbe auf die liquidatische Reconution sich einzulassen schuldig, und nicht befugt, des Cridarii Bücher lite pendente zu veräußern. Iungas, si volupe est, IOH. VLR. L. B. de CRAMER Observ. tom. I. obj. 127.

u) I. BRUNNEMANNVS Comm. ad L. 6. §. 7. D. quae in fraud. credit.

NEMANNUM u), IVST. HENN. BOEHMERVM w), DAV. MEVIVM x), HENR. ZOESIVM y) — — Et quis enumeret omnes
alias?

IV.

Inter actiones, quibus reuocatur res post motum concursus iudicium alienata, primum locum occupat actio in factum.

Quum nulla res sit, quae magis rem publicam contineat, quam fides, ac quum haec nulla esse possit, nisi fiat nummorum creditorum restitutio: curator bonorum z), tanquam procurator vniuersalis, aequo ac creditores decepti per suscep tam alienationem, nummos, post motum concursus iudicium, aliis restitutos reuocant, et impugnant factam in ipsorum fraudem alienationem, id est, omnem actum, quo debitor desinebat habere, quod habuit a). Id quod etiam tunc valere, veritati litans adfero, quando et vel iudex fraudatori, cognitione nondum finita, iniungit, ut vni alterius soluat b). Non vna caeteroquin, sed multiplex in iure nostro prodiit est actio, qua legumlatores optimi existimabant, succurendum esse creditoribus res post motum concursus iudicium dolose alienatas revocantibus. Quas et vel ea propter illustrare, e re mea erit, ne impingas in errores, quos vulgus interpretum lambit.

Si

- w) IVST. HENN. BOEHMERVS *Conf. et Resp. tom. II. part. I. resp. 357. n. 12. sq.*
- x) D. MEVIVS *I. c. part. IV. dec. 142. part. V. dec. 155. n. 8. part. IX. dec. 26. n. 10.*
- y) H. ZOESIVS *Comm. ad Dig. I. XX. tit. IV. n. 21.*
- z) L. *pr. quae in fraud. credit.* Nec opus ei est mandato speciali, quicquid etiam in contrarium dicat VLR. HVBERVS *Pract. ad Dig. tit. eod. §. 3.*

- a) Eandem mecum ideam cum alienatione iungere videtur VLPIANVS *L. 3. §. 2. D. quae in fraud. cred.*
- b) Vid. NIC. a LYNKER *Dissertat. de Aet. Paul. §. 39.* Id quod tamen admittit exceptionem, quando adparat, creditorem, cui fors restitutur, iure singulari imunitum esse, ita, ut nemo alias ipsi praefерendus sit. Legas, si placet, ANTONII FABRI *Codic. Definit. forens. tit. XI. def. 4.*

Si ad aures illorum creditorum peruenit, solutionem aequae ac alienationem rerum iudicio concursus creditorum motu, in ipsorum fraudem suscepit esse: omnium primo actione in factum utri poterunt, recuperaturi possessionem amissam e). Pollicitus Praetor fuerat, hanc actionem e fraudatorio interdicto dare d). Me quidem non fugit, AMAD. ECKOLTIVM e), IOH. SCHILTERVM f), HERM. VULTEIVM g), IOH. OLDENDORPIVM h), CHRIST. FR. KNEVSELIVM i), aliosque statere, hanc nostram actionem in factum esse eandem illum, quae alias venit sub nomine actionis Pauliana. Quare non duo iuris remedia, sed unum duntaxat agnoscunt laudati viri. At quam egregie fallant, fallanturque, vide. Nimurum actio Pauliana, prout iam olim animaduerterebat IAC. CVIACIVS k), notat illum generatim, qui cum fraudatore aliquid gessit, quem particeps esset doli mali in alienatione suscepta commisi. Nostra autem actio in factum, quam omnium primo tribuimus illis creditoribus, talem non notat, sed debitorum tantummo jo, qui, post motum concursus iudicium, do- lo quid fecit in fraudem creditorum, quo minus ad hos perueniret debita possessio rerum. Actionem hanc, fundatam in fraudatorio interdicto, nomen actionis in factum inde obtinuisse, verissimile est, quia non modo in factum alienationis illicitae concipitur, sed quia insuper sensu generaliori actiones praetoriae ita nominari solent^j). Personalis est, quamvis tendat ad recuperandam possessionem, qua creditores orbati sunt pendente concursus iudicio. Scimus enim, interdicta, tametsi vide-

- c) L. 10. §. 12. et L. 14. D. quae in For. cl. VI. act. III.
fraud. cred.
- i) c. F. KNEVSELIUS Diff. de Act.
Paul. §. 1.
- d) Ita vocatur L. 67. §. 1. ad SCT. Trebil. L. 96. pr. D. de solut., L. I. Cod. Theod. de integr. rest.
- k) i. CVIACIVS Com. in Libr. LXI.
Pauli ad Edict.
- e) A. ECKOLTIUS Comp. Dig. tit. quis in fraud. cred. §. 1.
- f) I. SCHILTERVS Exerc. ad Dig. XLVI. §. 52.
- g) H. VULTEIVS Comm. ad Inst. tit. de act. §. 7.
- l) Ne haec adducta sint sine exemplo, evoluas L. i. §. 4. D. de his, qui effud. et deiec. Iungas, si placet, EDM. MERILLIE Variant. ex Cui. libr. I. cap. 29. sq. et CHR. FR. MEISTERI Diff. de Act. in fact. §. 29.
- h) I. OLDENDORPIUS Prog. Act.

videantur in rem concepta, parere actiones in personam m). Finis huius actionis in factum est, vt creditores delusi recuperent possessionem rerum, quas ipsis interuerterebat fraudator. Quare etiam, me quidem iudice, hac actione in factum exigere poterunt ius retentionis, donec soluantur sumitus erogati in rem depositam, quam vero, pendente concursus iudicio, debitor obaeratus restituerat deponenti.

V.

Creditores recuperaturi res in ipsorum fraudem, pendente concursus iudicio alienatas, ut etiam queant actione rescissoria, obuia §. VI. I. de Action.

Tantum abest, vt creditores decepti ad hanc tantummodo actionem in factum, fundatam in fraudatorio interdicto, confugere queant, vt potius optimo iure experiantrur actione rescissoria, quam diuus IVSTINIANVS pro sua erga ipsos humanitate introduxit. Temperare mihi nequeo, quin adducam verba, quibus ea propter legumilator optimus suam mentem exprimebat. Ita sonant n):

Item si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit, honestus eius a creditoribus possisis ex sententia praefidis: permittitur ipsis creditoribus, rescissi traditione eam rem petere, id est, dicere, eam rem traditam non esse, et ob id in bonis debitoris manifesse.

Prudentissima me hercule sanctio! Verbis vero illius parum satis expensis non actionem quandam singularem rescissoriam, quam potius praetoriam Paulianam designari, aliis persuadere voluerunt, post THEOPHILVM o), EGVIN. BARO p), FR. BALDVINVS q), DAN. CLASENIUS r), GEORG ENGEL-

ER.

- m) L. i. §. 3. D. de interd. Junxitse p) Eg. BARO Com. ad Inst. tit. de non poenitebit VDALR. ZASII action. §. 6.
Op. tom. III. p. 693. q) F. BALDVINVS Comm. ad Inst. tit. eod. §. 6.
n) §. 6. I. de action. o) THEOPHILVS l. c. tit. de action. r) DAN. CLASENIUS Comm. ad tit. de act. p. 29

BRECHTIUS S), GEORG. FRANTZIUS t), HVB. GIPHANI-
VSU), NICAS. de VOERDA W), CONR. RITTERHVSIVS X),
IOH. STRAVCHIUS y), VDAL. ZASIVS z). Nescio, quid tu
iudicaturus sis de hac contorta, et IVSTINIANI menti aduersa
doctrina, quam paucis refellere, necessarium opinor, ne, proper
ter scriptorum auctoritatem errores propagentur, fraudique sint
imperitioribus.

Nimirum actionem Paulianam seruare indolem actionum personalium, intelliges ex iis, quae de natura actionis Pauliana infra proposuero. Dubio autem caret, quin legislator optimus allatis verbis proponere voluerit actionem, quae esset in rem, non in personam. Evidem desideramus verba, quibus hac de re voluntatem suam paulo dilucidius declarabat diuus Imperator. At nihil inde decedit nostrae caussae. Nam IVSTINIANVS, vel potius iurium consulti, quibus institutiones debemus, quum paulo post traderent actionem hypothecariam a), etiam tunc non dicebant, hanc actionem esse e classe illarum actionum, quae sunt in rem. Num vero, liceat te interrogare, num ob tam altum silentium, ab institutionum auctoribus obseruatum, diceres, actionem hypothecariam locum non occupare inter actiones ad rem? Absit, vt id abs te credam. Quid? quod nec opus quidem erat, vt IVSTINIANVS paulo dilucidius diceret, hanc actionem rescissoriam actionibus ad rem adnumerandam esse. Dixerat enim paulo ante generatim b), quasdam actiones, praetorias non minus, quam ciuiles, esse tam in rem, quam in personas. Praemissam hanc actionum partitionem illustratus incipiebat exponere actiones in rem. Adparet hoc e subiunctis exemplis. Sistit tandem inter eiusce generis actiones et hanc actio-

- 9) G. ENGELERECHTIUS *Diss. ad Inst. Iust. XV. §. 19* x) C. RITTERHVSIVS *Comm. ad Inst. p. 591.*
- t) G. FRANTZIUS *Exerc. Iur. XV. qu. IV. et comm. ad Inst. tit. de act. §. 6. n. 5.* y) I. STRAVCHIUS *Dissert. ad Ius Libr. p. 479.* z) V. ZASIVS *Comm. ad tit. de act. §. 7. I. de action.*
- w) N. de VOERDA *Enarr. in Libr. Inst. p. 524.* b) §. 2. I. tit. cod.

actionem rescissoriam, ac ea propter, ne quid dubii superfit, vtitur vocula *item*; cuius dictionis eam vim esse, scimus, vt iungat propositiones c). Tandem, traditis actionibus in rem, incipit, loqui de actionibus in personam d). Annon igitur, interrogare te liceat, annon iusto intempestiuus ordinem actionum ab imperatore optimo adhibitus violaremus, si e classe actionum ad rem eiiceremus actionem rescissoriam, de qua mihi est sermo? Omnino. Annon erroris redarguendus essem, si vestigiis A.N.T. FABERI e), aut REINH. BACHOVII f), acriter insistens TRIBONIANVM inficiatae ea propter inculparem, quod hanc actionem rescissoriam retulerit inter actiones ad rem? Omnino. Annon a vero tramite aberrarem, si cum IOH. MYNSINGERO & FRVNDECK g), IO. BORCHOLTENIO h), ARN. VINNIO i) adfirmarem, actionem Paulianam in personam, verbis recitatis propositam, tantummodo inter actiones ad rem relatam fuisse ob similitudinem, quae inter actionem Paulianam et actiones in rem intercedit, ac proin a facta coniunctione argumentum peti non posse, quod sit actio in rem? Omnino. Si enim a serie actionum mentem oculosque vertimus ad formulam huius actionis rescissoriae: et haec pro oranda nostra caussa non leue prodit argumentum. In illa enim describenda adhibet IUSTINIANVS verbum *peto*. Manifeste autem constitutum legitur, *petitionem* dici de actionibus in rem k). At quid multis? Competit enim nostra actio aduersus possessorem rei. Scimus vero, hoc esse proprium actionum in rem, vt sequantur rei possessores, adeo, vt, si quis possideat rem, teneatur actione ad rem, licet cum actorie nec contraxerit, nec deliquerit l). Quae omnia si quis secum paulo curatius perpendat: is, non tam spero, quam confido, quo quis pignore certabit, diuo IUSTINIANO actionem Paulianam non venisse in mentem, quum allatis verbis describeret actionem rescissoriam, de qua loquor.

VI.

- c) I. STRAVCHIVS *Lexic. Part.* DECK *Comm. ad Inst. tit. de act.*
Iur. p. iii sq. f. VI. n. ii.
- d) §. 8. I. de act. h) I. BORCHOLTENIVS *Comm.*
e) A. FABERVVS *Coniect. Iur. Hbr.* ad *Inst. tit. cund.*
XX. c. XIV.
- f) R. BACHOVIVS *Tr. de Action.* i) A. VINNIVS *Comm. ad Institut.*
diss. III. §. 39. p. 88t. edit. I. G. HEINECCII.
- g) I. MYNSINGERVS & FRVN- k) L. 28. D. de *Obligat. et act.*
- k) L. 25. D. *cod. tit.*, §. 2. I. de *act.*

VI.

Vlterior eiusdem actionis rescissoriae meditatio.

Difficile intellectu non est, cuinam competat haec actio rescissoria. Experiuntur ea, i VSTINIANI iussu, creditores, in quorum fraudem debitor rem suam dedit, bonis eius e sententia praefidis possessis. Parum, imo prorsus nihil, interesse, opinor, e quacunque causa creditores debitorem habuerint obligatum, sive e contractu, sive e delicto. Quis enim quaeso in dubium vocauerit, non minus illum evadere debitorem, qui e delicto, quam qui e contractu debet m)? Nec illi, cui sub conditione debetur, deneganda erit haec rescissoria actio. Nam imperator vtitur generali voce *creditorum*. Qua dictione quum non distinguantur creditores simplices ab illis, quibus sub conditione debetur: nec nostrum est, distinguere. Existente conditione is insuper retro creditor fuisse intelligitur, cui sub conditione fuerat obligatus n). Cae caeteroquin existimes, creditores illicet vti posse hac actione rescissoria, simulac audiuerunt, debitorem dolo malo celebrazze contractum de rebus in ipsorum fraudem alienandis. Duo enim desiderat legislator a creditoribus, auxilium ab hac rescissoria actione petentibus.

Primo enim vult, vt debitor in fraudem creditorum alicui suam rem tradiderit. Dum res, quam creditores e Praefidis sententia possidebant, debitoris obaerati esse, desinit, simulac a fraudatore alienata erat; veteres dubii haerebant, an creditoribus defraudatis persequutio pignoris praetorii indulgenda esset, si debitor alienasset rem, talis pignoris nexus obsstrictam? Per placuit diuno I V S T I N I A N O, verbis hisce scrupulum, quem movebant quidam, eximere ac iubere, vt creditores hac rescissoria actione persequi possent rem alii traditam in creditorum fraudem. Complectuntur caeteroquin amplius allata verba, quicquid quacunque ratione fraudis ergo a debitore susceptum est. Nil proin interest, qua ratione debitor fraudaturus creditores rem alienauerit: puta, an vendiderit; donauerit; pro derelicto habuerit; vsu capi passus

C 2

fue,

m) f. 2. l. de poen. temere litigant. n) L. 42. D. de obligat. et actione

fuerit; seruitutem vel vsumfructum amiserit? an vero acceptilatione pactoue liberauerit debitorem? an data opera in iudicio non adfuerit? an generatim aliquid suscepere, ut defineret habere, quod habuit? Ex hisce, ni totus aberro, patet, ut, quando dolus malus in suscepta alienatione aberat, rata omnino fit alienatio, nec queant reuocari a creditoribus res bona fide alienatae. Nam si bona fides in tali alienatione conspicitur: creditoribus per talem alienationem istarum rerum, in quarum possessionem e Praefidis sententia iuerant, satisfactum est, ac nomen, non obstante tali alienatione suscepta, manet saluum, nec quicquam amplius creditorum interest. Intelligitur vero tunc res in fraudem creditorum non alienata, si, ut bonum patremfamilias decet, vendidit rem, ac pecuniam inde redactam aut ad creditores, aut ad bonorum curatorem, retulit.

At nec hoc vnicum requisitum, de quo haecenus differui, sufficit, ut ab hac actione rescissoria creditores petant auxilium. Desiderat enim amplius IVSTINIANVS, ut *fraudator suscepere* *alienationem, bonis illius ex Praefidis sententia possessis*. Quid igitur statuendum erit, quando debitor, creditores fraudaturus, rem ante missionem in bona alicui tradidit? Num talis traditio, fraudis ergo suscepta, impugnari poterit hac actione rescissoria? Id eapropter abnegandum esse, arbitror, quia deficit decretum iudicis de constituendo pignore praetorio, atque sic tali creditori, qui tunc vti vult hac rescissoria actione, obest diu IVSTINIANI voluntas. Ut confugiant eo casu, necesse est, ad actionem Paulianam, et ab hac expectent auxilium. Norunt enim omnes, Pauliana actione reuocari rem, decipiendorum creditorum ergo in alium fraudis conscientiam prius translatam, quam delusi creditores mittebantur in possessionem rerum. Et hoc momentum, ni fallor, certissimo indicio est, recitatis IVSTINIANI verbis non tradi Paulianam actionem. Quaenam vero est ratio, cur tunc demum haec rescissoria actio institui possit, si debitor alienationem suscepere, posteaquam creditores in ipsius bonorum possessionem iuerant e Praefidis sententia. Eo latere viderit. Nimirum creditoribus, in possessionem bonorum debitoris obaerati euntibus, constituebatur pignus, quod vnu iuri vocabatur praetorium. Si huius pignoris possessio-

nem

nem amiserat vnuſ, alterue creditor: actione in factum, fundata in edito fraudatorio, vtebatur recuperaturus possessiohem amisſam. At quum videret IVSTINIANVS, quod, rametſi creditores persequi poſſent pignus, caſu, aliaue ratione, amifſum o); nihilominus tamē deſtituerentur singulari iuriſ remedio, quo uti poſſunt recuperaturi pignus praetorium, id eſt, res a debitorē aliis traditas fraudulenter, in quarum poſſessionem iuerant: e re eſſe Imperatori videbatur, vt creditoribus laefis ſuccurreret hac actione reſcifforia, qua tales res fraudulenter alienatas perſequerentur. Caeterum ex iis, quae ſupra attuli, repetere licebit, moto concursus iudicio creditores non minus parem conditionem nanciſci, ac olim nanciſcebantur miſſione in bona debitoris obaerati. Quid impedit igitur, quo minus pro oranda noſtra cauſa argumentum ex illuſtratis verbiſ IVSTINIANI du- camus et adſirmemus, quod, ſicuti olim uſus actionis noſtræ exu- labat, ſi res alii a debitore priuſ tradita erat, quam creditores iuerant in iſpis uoſſionem bonorum: ita pariter et hodie creditores ad noſtram actionem tunc demum conuigere, ab eaue auxilium petere poſſint, ſi debitor obaeratus poſt motum con- cursus iudicium auferit, res in fraudem creditorum alii tradere.

Tempus eſt, vt et vel tandem conſideremus, aduersus quem haec reſcifforia actio copeſtat. Prolati verbiſ reum non qui- dem expreſſe deſignat IVSTINIANVS. At dubio caret, quin detur haec noſtra reſcifforia actio aduersus eum, qui rem, in fraudem creditorum alienatam, tenet animo ſibi habendi. Quum enim tendat ad perſequendum pignus praetorium: iure conue- nimus illum, qui eſt poſſessor rerum, poſt coeptum concursus iudicium alienatarum. Nihil caeteroquin intereſt, an e lucratia? an ex oneroſa cauſa poſſideat rem? an fraudis particeps fuerit? an vero non? Actio enim reſcifforia, de qua loquor, erit e cauſa, ſi debitō in fraudem creditorum rem ſuam alicui tradiſit. Praeter traditionem inſequutam ac rei poſſeſſionem le- gislator nihil a reo, in ius vocato, deſiderat. Non requirit, vt fraudis, in traditione commiſſae, particeps fuerit. Quare eti- am is, qui primum a debitore rem accepit, fraudis inſcius, te- nebitur

C 3

•) L. vlt. C. de pract. pign.

nebitur hac actione rescissoria. Atque si hic alii denuo, quamuis bona fide accipienti, tradiderit rem eintam: posterior etiam emitor conueniri poterit hac actione rescissoria, si scilicet talen rem, moto concursus iudicio, in fraudem creditorum alienatam possider. Cessabit vero actionis rescissoriae auxilium, simulac desit, eiusce generis rem sine dolo possidere. Ampliorem igitur, ecquis, hisce circumstantiis ponderatis, in dubium vocabit, esse ambitum actionis rescissoriae, quam Paulianae? Hac enim dun-taxat experiri possumus, si is, qui rem in fraudem creditorum alienatam accepit, aut fraudis particeps fuit, aut istam rem e titulo lucrativo obtinuit. Ita vero fit, quod sub initium paragraphi anterioris monebam, ut IUSTINIANVS recitatis verbis non Paulianam actionem proposuerit, sed aliam potius actionem in rem, quam nominauimus actionem rescissoriam.

Petunt vero creditores defraudati, *rescissa traditione rem sub colore, quod tradita non sit, et ob id in bonis debitoris remanserit.* Tametsi eiusce generis fictio non conueniat indoli actionis hypothecariae, ytpote quam, scimus, rem obligatam sequi, non obsstante dominii iure p): attamen hoc extra dubium est, fictio-nem in nostra specie ea propter adhibendam fuisse, ne creditoribus obici posset, ipsos iussisse in possessionem bonorum debitorisbae-rati duntaxat rerum custodiendarum ergo, adeoque nullum ipsis in talibus bonis competere ius, simulac illorum alienatio suscepta fuit. Adhibita caeteroquin tali fictione hoc erit consentaneum officio iudicis, tanquam boni viri, ut ipsius iussu in pristinum statum restituantur omnia, quae in fraudem creditorum suscep-ta sunt, perinde ac si nihil fuisset susceptum. Non igitur tantummodo res in fraudem creditorum alienatae reuocantur, sed insuper etiam obligationes, actiones, fructus, accessiones, comoda quaevis restituuntur, quae creditores habuissent, si, post motum concursus creditorum iudicium, nec alienatio rerum, nec alia liberatio fraudulosa interuenisset.

VII.

p) L. 15. C. de pign. et hypot.

VII.

Indicantur actiones, quibus vtuntur creditores laesi, quando res, post motum concursus iudicium alienatae, consumtae esse desierunt.

Quid vero dicendum erit, si res, post motum concursus iudicium fraudulenter alienatae restitui nequeant? Qua quaestione, ita te interrogare audio, succurri poterit creditoribus defraudatis? An adest iuris remedium, quo creditores iuuare possumus, si non amplius exstat eiusce generis res? An vero iisdem, nil nisi plorare, relictum? Non destituuntur, ut ex animi sententia loquar, remedii legitimis, etiam si res, post motum concursus iudicium fraudulenter alienata, esse desierit.

Conueniens, ut ego quidem arbitror, erit vtili rei vindicatione, qui aut destruebat, aut in bonis habere definebat res, quas a debitore obaerato, post coeptum concursus iudicium, traditas accepit. Simulac enim creditores, programmate publico adfixo, et in diuersis territoriis publicato, inuitantur tam ad nominum professionem, quam ad fidem iudici de veritate fortis creditae faciendam; comperiebat reus, vtili rei vindicatione iamiam conueniens, ademtum esse debitori obaerato ius alienandi res suas. Hinc in doli commissi crimen incidit, quando, tamen ipsi innotuerit tam cesso bonorum, quam mandatum de bonis non alienandis: nihilominus tamen religioni non ducebat, res, post motum concursus iudicium a debitore ipsi traditas, accipiendi. Quare etiam idem is, in posse nam malitia, pro possessore habendus erit, qui res, quarum alienationem prohibitam esse sciebat, a debitore obaerato accipiebat, easdemque aut destruebat, aut consumebat. Vtili igitur rei vindicatione aduersus hunc instituta, praestare cogitur litis aestimationem q.). Obiicis forsitan, vutili rei vindicatione non alios, nisi qui certa quadam ratione rei vindicandae domini sunt, uti posse, atque proin ysum hujus actionis denegandum esse creditori.

¶ L. 27. §. 3. D. de rei vitud,

toribus, aut curatori bonorum debitoris obaerati. Quod enim creditores, post coeptum concursus iudicium, non obtinueret dominium de rebus obaerati debitoris, pateret tam ex ipsis legibus r), quam ex eo, quoniam non modo nullam praestant euictionem, quamvis ipsorum nomine vniuersum fraudatoris patrimonium venderetur, sed quia etiam debitor solutionem offerens bona sua recuperat s). Quem scrupulum, ne torqueat progradientes, eximam. Videlicet alienatio rerum post suscepsum concursus creditorum iudicium non absimilis esse videatur alienationi, quam de rebus suis, sine tutoris auctoritate, scipiebat pupillus. Sicuti vero tutor, legibus annuentibus, vindicat omne id, quod ipso inscio alienauit pupillus: ita etiam curatoris bonorum erit officium, ut omne illud vindicet, quod, post motum concursus iudicium, debitor dolo malo alienabat, aut, si res alienata non amplius exstat, saltim talium rerum iam deperditarum, instituta rei vindicatione vtili, consequatur aestimationem ab illis, qui, quoniam dolo non carebant in perdendis aut consummendis talibus rebus, in poenam malitia habentur pro possefloribus.

At quid dicendum erit, quando is, qui moto concursus creditorum iudicio res quasdam ab obaerato debitore traditas acceperat, easdemque rursus ignoto homini vendiderat inscius, iudicium tale fuisse motum. Utilem rei vindicationem tunc cessare, tanto certius est; quanto magis rerum periti fatebuntur, istum non commissile dolum, dum inscius iudicij huius moti accipiebat a debitore rem, quam, interueniente alio contractu, habere desinebat. Tametsi vero haec ita sint: attamen negari non potest, quod rem cum creditorum damno solutam acceperit sine iusto titulo. Inde vero inferre licebit, quod tali casu condicione sine causa moueri aduersus illum poterit, ut scilicet creditoribus defraudatis restituat id, quod ultra pretium, debitori obaerato a se solutum, consequebatur, quem ipse denuo hanc rem vendit.

r) L. 3. D. de cessione honor.

s) IOH. VLR. L. B. a CRAMER
Obf. Iur. tom. III. obs. 829, SAM.
STRYCKIVS Not. ad IOH.
BRVNNEMANNVM de Proc.

Concurf. Credit. cap. I. §. 4. Caeterum ut ne fraudator, solutionem offerens, creditoribus molestiam creat; ferri solet sententia, dass Cridarius binnen 6 Wochen seine Glä-

vendidisset inscius, debitori alienationem rerum fuisse interdictam t). Nam condicione sine causa omne id condici posse, scimus, quod redit ad non iustum caussam u).

VIII.

Tandem iniicitur mentio actionis aduersus debitorem res fraudulenter alienantem instituenda.

Vellit, ni somniat animus, vellit aures Praetor, iubetque, vt et vel tandem mentionem iniiciam actionis, quam hisce verbis proposuerat w),

actionem dabo, idque etiam aduersus ipsum, qui fraudem fecit, seruabo.

Quibus verbis debitorem obaeratum intelligi, et vel exinde liquet, quod, *fraudem fecisse*, de nemine alio, ac de ipso debitore dicere possimus, qui, tametsi, post motum concursus iudicium ipsi ademtam esse facultatem bona alienandi, intelligeret, nihilominus tamen in fraudem creditorum res aliis trahebat. Non prius vero institui posse, fatentur interpretes, hanc actionem praetoriam, quam debitoris obaerati bona fuerunt excussa. Quorsum vero, interrogas, quorsum proderit haec actio praetoria aduersus fraudatorem, bonis omnibus exutum? Dices, frustra dari hanc actionem ob summam debitoris obaerati inopiam x). Dico, non ita. Scilicet in memoriam reuoces, volo, in illis tantum modo rebus, de quibus nihil lege ciuili comprehensum, nec moribus aliquid receptum erat, Praetores ex praeceptis iuris naturae ac gentium ius redidisse, in aliis vero causis primum leges, dein mores sequutos fuisse. Veritati quam maxime accedit, Praetorem, cui hanc actionem debemus,

re-

- biger Klaglos zu stellen schuldig, EVS. OELTZE *Diff. de Credit. fibz*
oder dass er, wie in entstehenden *vigil. §. 20.*
Fall der Concursus-Procesverhänget u) L. 4. §. 3. *D. de condic. sine caus.*
werde, gewärtigen solle. w) L. 1. *D. quae in fraud. credit.*
t) c. G MELIN von Materiellen- Con- x) L. 6. *D. de dolo malo.*
curs der Gläubiger §. 20, GOTTL.

D



et hic respexisse ad ius moribus ortum, quo invaluit, ut, ne delicta impunita manerent, debitor obaeratus in corpore lueret, si non haberet in aere y). Non igitur ab hac actione praetoria expectent laesi creditores restitutionem rerum, moto concursus iudicio in ipsorum fraudem alienatarum, quam potius poenam fraudatori infligendam z). Haud parum nostra sententia exinde iuuatur, quod VENVL EIVS olim scripsiterit a), Praetorem non tantum emolumendum actionis intueri in eo, qui exutus est bonis, quam poenam.

Obstare, reges dubio procul, nostrarae doctrinae, quod Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS rescriperint b),

Si actu solemni praecedentem obligationem peremisti: perspiccis aduersis fraudatorem intra annum in quantum facere potest, vel dolo malo fecit, quo minus possit, edicto perpetuo tantum actionem permitti.

Quo rescripto caesareo quium legumlatores optimi beneficium competentiae tribuant fraudatori, cuius vigore, tantum abest, ut hic subeat poenam, ut potius intra annum non, nisi in quantum facere potest, teneatur: ineptam, clamitabis, meam doctrinam esse, et memet inuitis Musis pro granda causa inuocasse VENVL EIVS auctoritatem. Me non fugit, IAC. CVIACIVM c), REIN. BACHOVIVM d), ANT. FABERVUM e), AVG. BENED. CARPZOVIVM f), aliosque non paucos desudasse, ut tollerent anti-

y) L. 7. §. 3. D. de iurisd., L. vlt. D. de in iuris vocand. Secus dicendum erit de debitore e contractu. Qua de re euolvas, praeter L. 12. C. de oblig. et act., FRANC. HOTTO-MANI Quest. III. XXVI.

z) Hinc, cui subscribo, IOH. HENN. BOEHMERVS Doct. de action. sect. II. cap. II. §. 30. auctor est, ut petitum huius actionis ita concepiatur, Beklagten wegen folchen verübten Betrugs zum beneficio cessionis nicht zuzulassen, sondern Ihm vielmehr wegen des offenbahr-

ren Betrugs zum Vestungsbau zu condemniren.

a) L. 25 §. 7. D. quae in fraud. cred.

b) L. 6. C. de revocand. his quae in

fraud. cred.

c) I. CVIACIVS Obs. Iur. libr. XII. cap. V.

d) R. BACHOVIVS ad Treut. vol. II. disp. 24. tb. 5 lit. g.

e) A. FABERVUS Coniect. libr. XX. coni. 15

f) A. B. CARPZOVIVS Dissert. de Revocand. his, quae in fraud. cred. alienant. cap. IV. §. 5.

antimoniam, quae in verbis VENVLEII iureconsulti ac DIOCLETIANI et MAXIMIANI Caesarum deprehenditur. Sicuti vero pro dolor in plerisque hominum doctorum disputationibus fieri solet, ut, dum alii aliorum doctrinam erroris inculpant, ipsi peccent; aut ut, dum iactant, se legis obscurae mentem intelligere, faciant, ut ipsos intelligat nemo: ita etiam hic accedit. Quid egomet, vestigiis IAC. CONSTANTINAEI g) insistens, sentiam de allato, meaeque doctrinae non contrario rescripto, ingenue aperiam, si modo quaedam praemiserō, quae conducunt ad tenorem rescripti intelligentium. Inter omnes constat, acceptilationem olim fuisse imaginariam solutionem, qua obligatio, verbis contracta, distrahebatur noua obligatione interueniente. Repertus deinde fuit a c. AQUILIO GALLO modus, quo quaevis alia obligatio sive re, sive consensu, inita tollebatur, si modo prius per nouationem fuerat in stipulationem transmutata h). Licet acceptilatio liberaret sine pretio interveneret: attamen non semper gratuitam remissionem complectebatur. Nam transfigendi i), dotis constituendae k), voluntatis defuncti adimplendae gratia l), ac, ut breuiter dicam, tunc interponi solebat, quando aut dandum aliquid erat, aut facendum m). Videntur Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS respexisse ad doctrinam hucusque traditam. Mentionem namque iniiciunt praecedentis obligationis actu solemni peremptae. Si actu solemni, inquiunt, praecedentem obligationem peremisti, id est, si tu creditor, suauiloquio debitoris irretitus, ipsum ab obligatione incaute liberasti actu solemni, seu, ut aliae leges loquuntur n), verbis solemnis, puta per acceptilationem, aut per aquilianam stipulationem, cui acceptilatio in calce fuerat adiecta o): perspicis, aduersus fraudatorem etc. hoc est, ignorare non debes, talem debitorem, acceptilatione liberatum, nec carcere, nec vinculis, nec aliis poenis coercendum

D 2

dum

g) IAC. CONSTANTINAEVS k) L. 41 §. 2. D. de iure dotium
Subtil. Enodat. libr. II. cap. XXVII. l) L. 5. §. 1. D. de liberat. leg.

ap. EV. OTTONENI. c. tom. IV. m) L. 9. D. de praesc. verb.

h) BARN. BRISSONIVS de Solut. o) Exempla sicut sint §. 2. l. quib. mod.

et liberal. libr. II.

toll. obligat. L. 3. C. de acceptil.

i) L. 2. D. de transact.

L. 18. §. 1. D. t. e.

dum esse, sed illum, si intra annum utilem, a die liberationis computandum, conuenitur, tantummodo in id, quod facere potest, doloue malo fecit, quo minus posset, teneri, non secus ac istum, qui sua voluntate cessionis beneficio ex lege Iulia bona sua vendi curat. Qui vero factum, interrogas, ut fraudatorem talem legumlatores optimi non subiicerent poenae, quam subire, ex edicto Praetoris et voluntate VENVLIEU debet? Erras, quando interrogationi haec admisces. Nec Praetor, nec VENVLIEU recitatis verbis supponebant debitorem, quem creditor actu solemni, id est, acceptatione liberauerat ab obligatione, sed talem potius, qui fraude aliquid fecerat, id est, qui post motum concursus iudicium res alii fraudulententer dederat. At de tali fraudatore tacent Imperatores nostri. Ratio autem, quare hi debitorem, ab obligatione per actum solemnem liberatum, poenae non subiiciebant, in eo latere videtur. Est enim, ut suae imprudentiae imputent creditores, quod incauti indulserint liberationem actu solemni. Scire debebant, summo iure ius esse, se ab obligatione subducere actu solemniori. Scientibus vero non subuenit Praetor, ut ipse semet decipiebant p).

IX.

Sors credita, cuius restitutionem imminentि concursus iudicio creditor vigilans obtinuit, a caeteris creditoribus vindicari nequit.

Qui inhabitant urbes, in quibus mercatu compita et foras feruent, quique nil nisi senatorium aut patricium sanguinem iactitant, nec memoria repetunt, proauum maternum fuisse sarcorem, aviam vero vendidisse caleos quinquaginta librarum: hi non rarerter moleste ferunt, quod, prout turgent loculi mercatorum, turgere videant hosce splendidioris luti possessores, et cornua sumere. Cruciantur dolore, quoties aut Pelopas istos adspexit et Midas, grandesque gradum grandire Lucullos; aut etiam quoties horum praedia inuisunt, hortosque, in quibus

lumina pascit

Tul.

P) L. i. §. 6. quod falso tutor

*Tulparum venerandus bonos, pretiumque coloris
 Mirantur tam grande sui. Stat margine quaedam
 Discolor. Haec varia folium vibice flagellat.
 Sanguineis haec tincta notis. Haec coerulea est;
 Haec vmbone rubet; fuluumque intermicat illi;
 Illi purpureum. — — —*

Mentem adflictam erigunt a moerore, quod, casum impro-
 uisum aequa non pacere, videant, Mercurialium et quaestuosorum
 hominum fortunis, ac immitem Boream saeuire in terrae
 alumnes, puta, plantas fruticesque variii generis. Quid? quod
 suminis laetitiae incidunt, quando, iusto ciriis illam temporis
 periodum imminere, praevident, qua de horum bonis, ante
 coeptum concursus creditorum iudicium, in alias translatis, li-
 tes controuersiasque non leues excitant causarum oratores, qui,
 vt in tragoeidiis legimus, rabiosa clamosi fori iurga vendunt,
 iras et verba locant. Aut fallor, aut inter has controuersias re-
 ferri omnino debet quaestio non heri demum aut nudius tertius
 in scholis agitari solita, quid dicendum sit, si, quem paulo
 ante non rei oeconomicae et mercatoriae, quam potius florum
 culturae operam nauare ridebant, concius versuras continuo fa-
 cit, si que paulo prius, quam splendide perit, et res illi ad re-
 stim redeunt, vni alterie creditorum soluebat? Num quaeſo
 creditor, solutionem iuste vrgens, retinere potest id, quod ipsi
 fuerat solutum, quam imminaret tantummodo, nec motum eſſer
 concursus creditorum iudicium? An e contra creditores reli-
 qui iudicem precibus adire possunt, vt, cui imminentि concur-
 sus iudicio solutio facta erat, creditori vigilanti iniungeret, vt
 sortem receptam restituat? Si non alii creditores adsunt, ac ta-
 les, qui possident chirographum, nullo singulari iure munitum,
 in quo debitor obaeratus sortem mutuo creditam fatebatur: ad-
 ferere cum PETR. a L V D E W I G (q), AVG. a L E Y S E R (t), NIC.
 a L Y N C K E R S, IOH. B A L T H. a W E R N H E R (t), at quantis viris!

D 3

nullus

q) r. a L V D E W I G Consil. Hallens. s) n. a L Y N C K E R Dec. DCXLI.
 tom. I. libr. I. cons. 299. n. 3 p. 296. t) f. b. a W E R N H E R Obser. For-
 f) A. a L E Y S E R Spes. CCCXLIV. p. VII, obs. 2. n. 49.
 med. 8.

nullus dubito, creditos nummos, quos vnuſ alterue creditor, imminenti concursus iudicio vrgens, recepit, non in portionem vocandos esse, nec cum caeteris creditoribus communicandos. Quum enim tempore fortis restitutae debitor obaeratus non deſtitueretur facultate disponendi de suis rebus: iure ſubſiftit for-
tis creditae restitutio, nec impugnari poterit actionibus, quas, creditoribus defraudatis competere diximus, ſi debitor obaera-
tus, post emiſſum mandatum de non alienando, aliquid fufcipi-
ebat in necem illorum, quibus fuerat deuinctus. Hinc vides
rationem, quare iam olim SCAEVOLA dixit u), ius ciuile vi-
gilantibus eſſe ſcriptum: ideo quoque non reuocandum id, quod
quis percepit, puta, antequam creditores veniebant in debitoris
bona. At quid audio? Dicis, creditores reliquos ſaltim iure
praetorio adiuuandos eſſe, ſi, ipſis inciis, vnuſ alterue ſolutio-
nem iuste vrgens, fortem creditam recepit imminenti concursus
creditorum iudicio. Vt huictuae doctrinae, ingenue fateor, nullus
ſubſcribam, ſuadet IVLIANVS ſcribens w), ei, qui dabitam pe-
cuniam recepit, antequam bona debitoris poſſidebantur, timoſcen-
dum non eſſe praetoris edictum, puta, de reuocandis his, quae in
fraudem creditorum alienata ſunt, propositum. Optime ita
ſentiebat IVLIANVS. Norunt enim omnes, actionem Paulia-
nam, in laudato Praetoris edicto fundatam, tunc demum inſtitui posſe, ſi debitor obaeratus, dum suas res alienabat, men-
tem habuiffet decipiendi creditores. Desideramus vero vtpluri-
mum talem animum in eo, qui ſolutebat x). Solutione enim ſu-
cepta non tam laefionem tertii quaerit, quam potius liberatio-
nem. Tralatitium inſuper eſt, memoratam actionem credito-
ribus non vigilantibus prodeſſe aduersus illos tantummodo,
qui aut nullius fraudis commiffae inciſi rem, imminenti con-
cursus iudicio alienatam, e beneficio debitoris obtinuerunt y),
aut etiam aduersus iſtos, qui dum e titulo oneroſo eiusce generis
bona nanciscebantur, particeps facti ſunt fraudis, qua talis aliena-
tio ſuſcipiebatur z). Nullus autem dubito, quin fortis
creditae reſtitutionem eximas e claſſe titulorum, quos lucratiuſos
dicere

u) L. 24. D. quae in fraud. credit.

y) L. pen. C. de reuocandis his, quae

w) L. 6. §. 7. D. tit. cod.

in fraud.

x) L. 21. pr. D. de peculio.

z) L. 6. §. 8. D. quae in fraud. credit.

dicere, mos est. Debitor insuper, dum, imminentि concursus iudicio, sortem creditam vni alterius vigilanti creditor i restituit, incusari nequit doli commissi. Quare etiam deest fraus, cuius creditor vigilans, solutos nummos accipiens, particeps dicendus non est, tametsi praevidebat, vt debitori, sortem creditam iam restituenti, res mox redeant ad restit. Quibus ponderatis num quaeſo adſirmare auderes, aciōne Pauliana impugnandam eſſe reſtitutionem fortis creditae, imminentи concursus iudicio fuſceptam? Non crediderim.

X.

*Quare debitum, imminentи concursus iudicio per compensatio-
uem extinctum, exigi non poterit.*

Eandem quoque ſententiam tuebimur, ſi creditor vigilans, poſtequam fruſtra ſortem creditam expetierat ab obaerato debitor, alia quadam ratione eandem conſequi annitit. Fingas enim, rem exemplo illustraturus, finges, vnum alterumue creditorem, quo maius periculum creditae fortis amittendae adeffe videt; eo ardentioribus precibus minisque debitori obaerato infiſtere, vt ſaltim ipſi venderet picturas, domum debitoris obaerati ornantes, quae oculos ſtudioſi ſpectatoris ad ſe trahebant. Fingas, imminentи concursus iudicio, talem venditionem aequē perfici, ac creditori vigilanti a debitor ebaerato tradi tabellas artiſcioſe picturat, in quibus conſpicias mox latiſſime patens coelum, micantibus astris variegatum; mox vimbriferas imbriferasque nubes; iam flumina amoeniffimis flexibus campos cingentia; iam lucis matutinae tremulum in vndis ardorem, debilemque ſolis ardentis fulgorem; vel humiles villas, fumofasque domus, in quibus positas eſſe, iurares, lectiones ad vtrumque latus, et iuxta has, equos, vaccas, vitulos, ſupra pullos et gallinas, ſubter porcos; vel montes vix pedibus adeundos, nunc aequali dorſo continuos, nunc in profundum abſciflos; iam ſylvas crebris arboribus condensas, ibique ceruos, in ſqualido humo inter tristes truncos internitente, rapidis moloffis, crura ſubducentes, et animalia a velocitate, metu, auribus, pilis nota, a canibus in gyrum agitata; iam prata virentia terreſtribus ſyderibus, puta, variis floribus formosa, omneque genus volu- crum

erum discoloribus alis vias aerias secantium; iam riuulos etiam dulce, aquis strepentibus, decurrentes inter obstantes calculos; aut etiam imaginem puerae, ad modulos salientis, cuius minaces oculi, duces in amoris ludo, produnt, non rarerter ab ipsa in cubiculo hoc gemitus edi,

Sunt mibi, quae possunt, geminos nutritre, papillae

Quique valent, partum sustinuisse, sinus.

Omnia signa mibi, quae nubilis exigit aetas;

Haec me, non matris, sed iubet, esse viri;

vel tandem e regione positam effigiem vetulae, secundas nuptias parantis, qua visa emtor noster vix se continere potest, quin exclamat,

Omnia marcescunt, oculi, frons, colla, lacerti,

Tempora, pes, gremium, pectora, lingua, genae.

Exequias haec festa, puto, sponsamque cadauer

Quoque thoro flammam expetit, esse rogam.

Si in tali venditionis contractu introitio, quum concursus creditorum iudicium imminaret, nec dolus adfuit, nec interuenit fraus in determinatione pretii, sed hoc portius aequale est sorti, quam obaeratus debitor sese tanquam mutuum accepisse fatebatur in instrumento, post perfectam venditionem deleto: ratio fana docet, hanc picturarum venditionem ratam esse, ac iure obici posse compensationis exceptionem a), puta si forte creditores reliqui desiderant, ut pretium, stipulatione promissum, ad maslam bonorum, (sit venia, precor, vocabulo barbaro) restituat vigilans creditor, ac expectet solutionem debiri litteralis, in loco ipsi in sententia ferenda aliquando adsignandam. Ut enim raceam, deprehendi in nostro creditore dolum bonum, id est, solertia, damna auertendi, quam nec aequitas, nec ius scriptum reprobatur b). Ait hoc pro oranda nostra causa addu-

a) Vid. FRID ES. PUFENDORF
III Obs. tom. I. obs. 79. IOACH.
LVD. MAYOHL Tract. de Comp.
in conc. credit. sect. III., CAROL.

FRID. WALCHII Syll. Contr.
lur. sect. III. cap. VIII. § V.
b) De hac egit I G. KVLPISLVS Diff.
de circumuent, in contract. licita.

duxisse, e re nostra erit. Nimisum eo tempore, quo venditionis contractus in nostra specie perficiebatur, nondum ademta fuerat debitori obaerato facultas, res suas alienandi, et vni alterius creditorum satisfaciendi. Quare etiam nomen olim contractum extingue poterat picturarum venditione, quam imminenti concursus iudicio suscipiebat fraudator. Scimus insuper, eam esse compensationis indolem, ut ipso iure locum inueniat in negotiis tam stricti iuris, quam bonae fidei. Obtinuit hanc naturam legibus, non demum IVSTINIANI aetate rogatis, prout visum erat IAC. CVIACIO c), ANT. SCHVLTINGIO d), EDM. MERILLIO e), IOH. MAESTERTIO f), sed ad minimum, aeuo VLPIANI g) et PAVLI h), per consuetudinem introductis, ac a diuo IVSTINIANO confirmatis, latiusque extensis. Si vero, requisitis omnibus concurrentibus, compensatio sit ipso iure, omnesque actiones minuit, siue bonae fidei sunt, siue stricti iuris i): sequi inde, ecquis negabit, ut non modo opposita compensatio retrorahatur ad primum momentum, quo mutuum creditum et debitum adesse incepérat, sed ut etiam nomen contractum statim pro concurrente quantitate minuatur k). Si autem hoc verum est, prout omnino verum est, atque si hinc in nostra specie, illustrationis ergo allata, compensatio debiti litteralis ac venditarum picturarum non demum ea temporis periodo, qua iudicium concursus creditorum erat motum, sed iam tunc nascebatur, quem contractus venditionis celebratus fuisset, nec iudex debitori interdixisset bonis administrandis: omnes, etiam qui parum in foro, aut in scholis iureconsultorum versati sunt, lubenter mihi, quod spero, concedunt, compensationis exceptionem, qua vtitur creditor emtor, eosdem effectus sortiri, quos paragrapho anteriori tribuimus factae restitutioni sortis creditae. Sicuti enim fors, quam restitutam ante concursus iudicium

c) I. CVIACIVS *Obs. lib. VIII. c. VI. et libr. XV. cap. I.* f) IOH. MAESTERTIVS *Tr. de Compens. qu XXVIII.*

d) ANT. SCHVLTINGIVS *Iurispr. Anteius. p. 274.* g) L. io. D. de compens. h) L. 21. D. tit. eod.

e) EDM. MERILLIVS *Variant. ex Cuiacio lib. II. c. IV. tom. II. op. 287.* k) §. 30. I. de act. L. 10. pr. D. de compens.

dicum creditor vigilans obtinuit, reuocari nunquam potest: ita etiam nomen, compensatione extinctum ante motum concursus creditorum iudicium, nunquam reuiniscet, nec exigi poterit, vt redeat ad massam concursus 1).

XI.

Hinc nec nomen bona fide sponte extinctum, nec, certa quādam ratione, datio in solutum imminentī concursus iudicio facta, reuocari poterit.

Pergamus ad vltiora. Nimurum etiam isti sortis creditae restitutioni sua vis ac potestas erit, quam, imminentī concursus creditorum iudicio, debitor obaeratus, animo credidores defraudandi destitutus, sponte suscipiebat, licet nullus restituendos nummos creditos vrgeret. Saepius enim homines amplius de suis facultatibus sperant, quam in iis est. Debitor obaeratus insuper ea temporis periodo, qua non admonitus bona fide restituebat sortem creditam, in ea forsitan opinione erat, bona sufficere ad extinguendum omne aces alienum ab ipso contractū. Nec sciebat, nec credebat, cessionem bonorum, quam conciuis ipsi obligatus parat, trahere iacturam sui ipsius patrimonii. Quid? quod fatentur rerum peritiores m), contractus et pacta a debitore, antequam foro cesserat, absque animo defraudandi credidores inita, manere rata. Quare igitur creditae sortis restitutioni, ante concursus iudicium motum susceptae, nec seavis, nec potestas constaret.

Quod modo protuli de non impugnanda sorte, non fraudulenter restituta, imminentī concursus creditorum iudicio; id quoque adserere, audeo, de datione in solutum. Hanc enim esse speciem solutionis, nemo, opinor, desiderabit, vt probem testimoniis amplissimis n). Si vero debitor, fraudis dolue expers, imminentī concursus iudicio potest nomen, praestanda solutione, extinguere: sequitur, eundem etiam res suas in solutum dare

1) L. 4. D. de Compens.

m) Vid. CHRIST. FRID. FLEISCHERI Diff. de Debito speciei moto ante traditionem concursu cre-

ditorum praecise praefando §. 12.,

et IOH. IAC. SORBERI Diff. de Jurib. vigilant. scriptis §. 49.

n) L. 46. D. de usurpat.

dare posse, nec extimescere actiones, quibus impugnari potest facta datio in solutum. Id caeteroquin nullus abnego, paullo deteriorem esse illorum creditorum conditionem, quibus a debitore, facultatibus destituto, res in solutum datae sunt, ac istorum, qui receperunt bona fide sortem creditam. Hos namque, constat o), acquirere nimmos cum suis irrevocabiliter. At in illos, quibus res dantur in solutum, tales res transeunt cum suo onere. Quare si vna alterae res, imminentि concursus creditorum iudicio, in solutum data, iam antea alii fuerat obligata: tantum abest, vt creditor ius pignoris perdat per insequitam dationem in solutum, vt potius actione hypothecaria conueniat possessori rei in solutum datae imminentи concursus creditorum iudicio p).

XII.

Quare nec dos, imminentи concursus iudicio constituta, ordinarie revocatur.

At quid ratione dotis, imminentи concursus iudicio constitutae erit dicendum? Si enim sacer euerit mensam: num creditores fraudati generum conuenire possunt, vt, quam imminentи concursus creditorum iudicio constitutam obtinuit, dotem restituat? Quae mihi hac de re sit mens, ingenue aperiam adhibens distinctiones necessarias. Scias igitur, dici, matronarum hoc antiquitus fuisse officium, vt domi, instar auicularum, in cauea inclusarum, residerent; nendo, filaque trahendo vitam traherent; culinis et foco adhaererent; fortunis maritorum et commodis tuendis totas se darent; rem familiarem ad quandam feueritatem componerent; non tam vestibus pretiosis, quam potius munditiis simplici, eademque omnis fastus et ostentationis experte, probarent istud, quod in proverbio dicitur, optimum vestigal esse parsimoniam q). Nae nimis feuerus esset, qui tale

E 2

quid

o) L. 78. D. de solut.

p) L. 12. pr. D. qui potiores in pign.

q) Inde factum videtur, vt ipse Apostolus, quem institueret christianam

foeminam, iuberet, eam esse οὐ-
Φονα και ὄνκερον και ὄνκοδοποτειν, ης ε
contra reprehenderet τας περιεργονε-
νος τας ὄνκες, Φλυαρες και περιεργες,
Tit. II. 5., I. Tim. V, 13. sq.

quid exigere auderet a nostri aei mulierculis, quae liberaliter educatae singulis propemodum mensibus, aliis atque aliis vestimentorum figuris, pallis, cycladibus, syrmis splendorem commentitium quaerunt; de capillamentorum ornatu specula singulis ferme horis in consilium vocant; laboris plerumque impatiens curam rerum domesticarum student sapienter euitare; temporisue e contra terendi causa iusto saepius adeunt aedes laitorum hominum, qui aniculas souere solent, e quibus vel herus vel domina discit omnia, quae totam per urbem sunt dicta, facta, gesta; quibus lenociniis ac obsequiis promissionibus Philippus et vel tandem superauerit Daphnis pertinaciam; qua ueste induitus Iacobus infantulum e baptismo suscepit; quo colore fuerit vinculum religans fasciculum florum, qui ornabat pectus patrinæ, cuius staturam calceus subere sublatu mendacio adiuuerat; qua cantilena Silviae somnum interpellauerit Hortensius nocte intempestiu bubonum instar circumvolitans; qua diuine gemmarum torque ornata Amaryllis exceperit sponsum, qui quasi fulmine percitus erat, protinus Amaryllis insignem pulchritudinem, cutis candorem, frontem altam, spatique decentis, oculos caeruleos, comas copiosas et aureis laminis similes, membrorumque omnium, quae adspectui patebant, concinnitatem cooperat admirari et credere, Dearum aliquam, relicto coelo, in terram commigrasse — — — Quae dum dicimus: lectores rogatos volumus, ne Iunonibus suis dicta memorent. Periculum enim est, fore, vt ne vna alteraque AFRANIA^r) memet ipsius regnum inuadere, aequo ac se ex antiqua crepundiarum muliebrium possessione deiici putans caput meum inuoleat, omnesque alias innuptas puellas concitet in me, ab his forsitan et vel ea propter contemendum, quod cras, cras, venerabili istorum ordini adnumerandus videar, in quos cadit et vel haec IVENAEIS cantilena^s),

— dum bibimus, dum ferta, vnguenta, puellas,
Poscimus, obrept non intellecta senectus.

Per

^r) Meminit AFRANIAE tam
VLPIANVS L. 4. §. 5. postul.
quam VAL. MAXIMVS L. VIII.
cap. III., qui vero illam fudit tan-
quam calunnia muliebris notissi-
mum exemplum, adeo, ut pro cri-

mine improbis foeminarum mori-
bus nomen AFRANIAE obiicit.
Jungas G. A. IENICHEN Observ-
select. de C. Afrania.

^s) IVVENALIS Satyr. IX. 128.

Per Deum Fidium iuro, et Iouem Gamelium, Iunonem, Venerem, Dianam, Hymenaeum, et, si qui praeterea sunt deos deasque nuptiales iratas sentiam, si animo inuehendi in defidiam ac incuriam mulierum nostri aeuī dicta protulerim. Factum id potius est, quoniā futurum esse, praeuideo, vt, qui paulo curatius mores nostrarum mulierum, puta, laute et iuxta rectum ab ipso sensu iudicium (gustum vocant) viuendi consuetudinem intuetur, mecum dicat, dotem a genero acceptam iure referri inter titulos onerosos, non vero lucratiuos. Agnouerunt id iam olim Imperatores et iureconsulti magni nominis t). Si vero hoc verum est, prouti omnino verum est: quid quaeſo inde ſequiter, niſi hoc, vt ſcilicet, quando creditores defraudati, ad actionem Paulianam confugientes, virginem reſtitutionem dotti, imminenti concursus iudicio conſtituae, gener retineat, quicquid dotti nomine illi obueniebat. Non timet actionem Paulianam, ſi nesciebat fraudem, qua ſocer forſitan, dotem imminenti concursus iudicio conſtituens, fallere annitebatur creditores. Obtinuit namque dotem e titulo oneroſo. Scιunt vero omnes, Paulianam actionem exulare, ſi quis, fraudis incius, e titulo oneroſo accipit rem a fraudatore, tametſi caeteroquin imminenter concursus creditorum iudicium. Se- cūs vero res ſeſe habet, quando ſciebat, tam largam ipſi doteſt conſtitui iudicio concursus creditorum imminenti, vt creditores laederentur u). Dubio enim caret, quin ſententia, de dote accepta conferenda tunc ferri debeat, quando creditores vrgent reſtitutionem dotti fraudulenter conſtituae et acceptae.

Temperare mihi nequeo, quin attingam quaefitionem aliam, cum quaefitione modo illustrata conuenientem. Quid nempe di- cendum erit, ſi pater, gnarus curiae ſuppelleſtilis, amplam do- tem promittit, quo inueniat generum; ſi dein idem is doteſt promiſſam et cautam ſoluere non poſſit? Num quaefo gener,

E 3

coepio

t) L. 56. §. 1. D., L. 20. C. de iure dotti. Hinc doteſt promiſſam a genero ſummo iure peti docent I. BRUNNEMANNVS Proceſſ. Cred. cap. V. §. 54. n. 10.

E. E. PUFFENDORFFIVS I. c. tom. I. obſ. LXVI. §. IV.

u) L. fin. §. I. D. quae in fraud. Cone. Cred. cap. V. §. 54. n. 10.

coepio concursus iudicio exigere poterit, ut ratione dotis promissae praefératur, in cesso loceri patrimonio, creditoribus et chirographariis et hypothecariis tempore posterioribus? Adfirmandam esse hanc quaestione, putas, dum in mentem tibi venit, genero ius facitae hypothecae tribui a legibus w) ratione dotis, in bonis loceri promissae, atque proin generum anteponendum esse creditoribus loceri litteralibus, licet sint tempore posteriores. At haec tua doctrina deferenda esse videtur, quando debitor promittebat dotem. Promittit enim, vel saltim promittere debet filiae dotem de bonis, suo arbitrio suppositis. Haec autem non intelliguntur, nisi deducto aere alieno x). Quum ergo non valeat promissio dotis, facta in fraudem creditorum a locero, loceri alieno immerso: sequitur, talem promissionem dotis nec tendere in praeiudicium creditorum loceri, nec hos postponendos esse genero, si vrgeat solutionem dotis promissae y).

Inter omnes constat, filias accipere dotem e titulo lucrativo. Ergo, si Parcae non parcant marito, ac si reuertatur dos ad vxorem: filia vidua de dore, imminentि concursus iudicio constituta, indistincte tenebitur, siue scierit, siue ignorauerit patris voluntatem defraudandi creditores z). Hinc quoque eadem illa petere nequit, ut, ratione dotis a patre non datae, sed tantummodo promissae ac cautae, ipsi ius praecipuum indulgeatur, quo hac ratione dotem promissam, e bonis debitoris obaerati exfoluendam, nanciscatur, et reliqui creditores postponantur, si modo filia probare non possit, patrem eo tempore, quo dotem promittebat, deducto aere alieno in suis bonis quantitatem dotis determinatam habuisse a). Hi enim versantur in damno vitando

w) L. vn. §. i. C. de rei vxor. act.

x) L. 39. §. i. D. de verb. sign.

y) D. MEVIVS l.c parr. V. dec. 377.

IOAN. IOACH. SCHOEPFFE-RVS Tract. de Altim. et Dote filiar. nobil. membr. 2. n. 32. sq.

z) L. fin. §. i. D. quae in fraud. cred. Quid? quod L. 2. C. de revocand. his, quae in fraud. credit. constitutum legitur, filiam, licet paterna

hereditate abstineat, tamen de dote accepta a creditoribus patris conteniri posse, si bona defuncti non sufficient, et dos in fraudem creditorum constituta probetur.

a) Conf. si placet, G. BARTHII Diff. II. de Benefic. Filiae abstinendi heredit patern. cap. i. §. 32. et C. A. F. HOMMELII Rapfod. Quæst. obs. CCXL.

do, filia autem in lucro captando, et promissae dotis exactio incidit in casum interdictae in fraudem creditorum solutionis. Nec quicquam impedit, quod pater, tempore dotis promissae, abundauerit opibus. Sibi enim imputet, quod eam temporis periodum elabi passa fuerit, qua opes patris pares adhuc erant dotis promissae exsoluendae. Admittunt caeteroquin haec principia exceptionem, si illustris filia dotem, e pacto domus debitam, efflagitat. Gaudet enim intuitu talis dotis non modo iure pignoris taciti b), sed etiam, p[ro]ae reliquis creditoribus aut paternis aut fraternis, dos statim numeranda est, si scilicet adsumt pacta domus, quibus constitutum legitur, vt dos exsolueretur e bonis c).

XIII.

A regula, paragrapho nona illustrata, excipiendo erit procurator fisci, cui ius esse, docetur, reuocandi pecuniam, imminentि concursus iudicio restitutam creditoribus, quos fiscus antecedit.

Quae ad conseruandam rem publicam debentur fisco: ea, tantum abest, vt auferri illi possint, vt potius iure reuocentur, si diminuantur. Hoc enim rerum gerendarum neruo non magis carere potest corpus ciuitatis, quam corpus humanum neruis ac artibus suis c c). Inde vero rationem deteges, quare legumlatores voluerunt iusseruntque, vt, si quando fraudator, immi-

nen-

b) Euolua s. L. BOEHMERI *Pr. de Iure dotis filiae illustri expactis domus debitis, moto aduersus patrem concurredi.*

c) Legas, praet[er] i. G. ESTORIS *Diss. de Dot. filiae illustri nuptiae, ex domus pacto extra patris concursu, p[ro]ae cred. paternis statim numeranda.* C. G. GMELIN *Ordnung der Glaubiger bey entfladenem Bantproesse, cap. VI. §. 3.*

cc) Notatu hinc dignum est apophateg-

ma, quo, referente AURELIO VICTORE *Epit. cap. 39. n. 20.*, TRAIANVS, correptus ab vxore, POMPEIA PLOTINA, quod procuratores suos prouincias calumniis deuexare pateretur, atque hinc improbas exactiones detestatus, fiscum lieni ideo comparauit, quod eo crescente artus rehqui tabescerent. Quia similitudinem eleganti emblemate N. 146 exprimebat ALCIATVS

nenti concursus iudicio, etiam citra gratificationem vni alteritae creditos nummos restituisset, et, si talis restitutio tetendisset in fisci iniuriam, omnino talis patrimonii diminutio posset impugnari. Ne temere hoc dixisse videar; accipias quaeſo rescriptum ita ſonans d),

Imp. ALEXAND. A. MENNAE.

Pecunia quam creditor a debitore suo recepit, si poſtea ex iusta cauſa fisco reſtituenda erit, fine uſuris debetur: quia non foenus contracuum, ſed ſuum recuperatum extraordinaire iure auferunt.
P. P. 15. Kal. Iun. FVSCO, et DEXTRO CONSS. 226.

Qui paulo curatius conſiderat tenorem allati reſcripti; iſ intelliget, ALEXANDRVM loqui de iure extraordinaire, vi cuius fiscus auferre potest pecuniam, quam creditor a debitore ſuo recepit. Quid igitur? Num quaeſo ALEXANDER excludi voluit aerarium a iure singulari, quod recitato reſcripto indulſerat fisco? Si annalium monumenta euoluimus: fatendum omnino erit, canis temporibus aerarium diuersum fuiffe a fisco, illudque non gauſum eſſe iuribus, quae indulta fuerant fisco. Veniebat enim aerarii vocabulo vniuersitas bonorum et rediutum ad publicos populi uſus deſtinatorium. Reponebantur in eo rediutus e vecigalibus, tributis, locationibus censoriis; gentium deuictarum exercituumque ſpolia et manubiae; breuiter, omnes nummi in uſus publicos coacti aequē ac impendendi. Inſpeccio aerarii pendebat a ſenatu, proprietas vero illius erat penes vniuersam rem publicam. Aerario administrando epochis diuersis diuerſi magiſtratus praeponebantur, quos accurate enumerant IVST. LIPSIUS e), PETR. BVRMANNVS f), THOM. DEMPSTERVS g), ERH. REV SCHIVS h). Manebat quidem, quum Caſaſ rerum potirentur, aerarii nomen; mox tamen Principeſ ſuas rationes ab aerario separatas habere incooperunt. Ab hoc enim tempore fiscum pro imperatorum theſauro ſumi conſue-

d) L. 5. C. de priuilegiis fisci.

e) I. LIPSIUS Excurs. XIII. ad TA. CITT. Ann. lib. 13.

f) P. BVRMANNVS Diff. de Vec. Pop. Rom. cap. VIII.

g) TH. DEMPSTERVS Not. ad

i. ROSINI Antiq. Rom. libr. VII. cap. XXXI.

h) E. REV SCHIVS Comm. de Popul. Rom. Quæſt. ac potiſſimum aerar.

sueuisse testes sunt PLINIVS i), TACITVS k), SPARTIANVS l). Ex quo autem potestas principum crescere coepit, confusae sunt denominationes fisci ac aerarii, atque promiscue et a veteribus iure-consultis et ab imperatoribus usurpatae passim leguntur m) Factum hoc fuisse, iam ALEXANDRI aeuo, persuasum mihi habeo. Qui enim, illo regnante, praerant fisco, vocabantur praefecti aerarii n), manifesto indicio, vnicum duntaxat ea temporis periodo fuisse aerarium, quod et fisci nomine veniebat. Quum insuper annalium scriptores referant o), ALEXANDRVM intulisse pretium redditorum captiuorum in aerarium: aerarii nomine hic fiscum intelligi, tanto certius est, quanto minus dubium remanet, populi aerarium, si eo tempore quoddam extitisset, nullam vim ac potestatem in captos bello sibi potuisse arrogare. Comprobat insuper dicta DIO. CASSIVS p), qui, licet ipsius aetas in ALEXANDRI nostri tempora caderet, tamen nesciebat, quid inter populi ac principis aerarium interfuerit. Adparet inde, non nisi vnicum, huius testis aetate, fuisse aerarium. Quum ergo, regnante ALEXANDRO, promiscuus vsus fuerit vocabulorum fisci et aerarii, adeo, ut vtroque nomine pecunia publica, seu complexus bonorum publicis vsibus destinatorum, denotari soleret: eccur aerarium excluderemus a iure singulari, quod in recitato rescripto ALEXANDER noster indulserat fisco, puta, a iure reuocandi sine usurpis pecuniam, quam imminentि concursus iudicio vnis alterue creditor vigilans a debitore suo recepit? Aut fallor, aut e generalioribus rescripti verbis eluet, fiscum iure extraordinario auferre pecuniam a suo debitore receptam, siue in solutione facta accessit gratificatio, siue nulla interuenit. Modum agendi haec verba, extraordinario iure recuperatum auferri, indi-

i) PLINIVS *Panegyr. c. 36.*k) TACITVS *Ann. libr. VI. c. 2.*l) SPARTIANVS in *Adriano c. 7.*

Ad quem locum legi meretur obseruatio CL. SALMASII

m) L. i. §. 9. D. ad leg. Corn. defals L. 13. pr. D. de iur. fisci, L. vlt.

C. de bon. vacantibus. His iungas

i. G. HEINECCI Comm. ad Leg.

Iul. et Pap. Popp. libr. I. cap. I. §. 2.
et M. C. CVRTII Comm. de Sen.
Rom. I. III. cap. IV. §. LXIV.

n) L. 8. §. 19. D. de transact.

o) LAMPRIDIVS in *Alexandre*
cap. 55.

p) DIO CASSIVS libr. III. c. 22.

indicant. Si enim vi ac potestate actionis hypothecariae id fieret: fiscus recuperaret, quod sibi debetur, modo ordinario, nec diuersum esset ipsius ius a iure mulieris, aut aliarum personarum, quae habent priuilegiatas hypothecas. Tamen si caeteroquin non videoas, limites huic iuri singulari esse positos: nihilominus tamen hoc ius extraordinarium, iuxta aequitatem et legitimae interpretationis regulas, non nisi de ipsis creditoribus intelligi poterit, quibus, suberto concursus iudicio, fiscus solet anteferri. Nullus namque credo, debitorem obaeratum, cum creditorum iniuria, augere posse ius fisci, quod non habebat, quum concursus iudicium moueri inciperet. Id quod autem accideret, si fisco indulgemus ius repetendi nummos ab illis creditoribus receptos, quibus alioquin, suberto concursus creditorum iudicio, anteferri non solet. Hoc cogitasse, iurare auferim, et ipsum ALEXANDRVM nostrum, dum is rescribebat, non indistincte, sed ex iusta causa pecuniam restituendam esse, quam creditor a debitore suo recepit.

XIV.

Amplior eiusdem doctrinae meditatione.

Sufficiunt quidem, quae protuli, ad allatam thesin probandam. Maioris vero illustrationis gratia dicta exemplis explicabo. Inter omnes constat, fiscum habere hypothecam cum iure praelationis coniunctam ratione tributorum, aliorumque onerum publicorum, etiam extra ordinem fundis impositorum q). Edixit enim ANTONINVS, *uniuersa bona eorum, qui censemur, vice pignorum tributis obligata esse r), ac potiorem esse causam tributorum, quibus priore loco omnia bona cessantis obligata sunt s).* Ergo quum ius fisci semper sit tempore prius, ac hypothecis quibusuis antiquius: non est, me hercule! quod plorent creditores

q) Negari autem nequit, ius praelationis, quod fisco ratione onerum extraordinariorum tribuimus, non tam legibus nisi, quam confuetudini iure. Vid. GMELIN lcc. II
§. 9 et KLUGELII Diff. de Loco

vectig. vel aliis oneribus realibus et personalib. in concurs. creditor. attribuendo §. 9.

r) L. i. C. in quib. caus. pign. vel hypoth.

s) L. i. C. si propter publ. penit.

tores, si ipsis procurator fisci iure extraordinario auferet pecuniam, quam, imminenti concursus iudicio, a fraudatore receperunt in summam tributorum, fisco seu aerario t) debitorum, iniuriam. Num vero, ita te interrogare audio, num procurator fisci a creditoribus, creditos nummos ipsis imminenti concursus iudicio restitutos, extorquere poterit, vt recuperaret multam, quam debitor obaeratus ob delictum perpetratum debebat fisco? Qui sequuntur magni nominis iurium consultos, tribuentes fisco indistincte ius pignoris pro debitibus e delicto oriundis u): illi dubio procul sentiunt, procuratoris fisci esse, vt, si quando fraudator, fisco multam debitam ablaturus, creditores vigilantes, imminenti concursus iudicio, soluisset, vt, inquam, vendicaret sortem a creditoribus receptam. Ne criminis, inuentarientes errores temerario ausu propagandi insimuler, linquo hanc doctrinam. Nonne enim ea augeremus ius fisci, quod nec habet, nec ipsis tribui voluit ALEXANDER recitatis rescripti verbis? Omnino. Certum itaque mihi est, videndum esse, an debitor obaeratus prius deberet creditoribus vigilantibus, quam coram tribunali ferebatur sententia, quae aut fisco tribuit ius, vniuersa debitoris obaerati bona occupandi ob facinus perpetratum, aut quae ipsum saltim damnabat, vt lueret multam? an vero demum, post eiusce generis sententiam, debitor obaeratus acceperit sortem mutuam, quam vigilans creditor, imminenti concursus iudicio, recepit, multa debita in fiscum nondum illata?

F 2

Priori

t) Me quidem non fugit, hodie accuratiores non solum inter fiscum et aerarium distinguere, sed alias quoque publicorum reddituum divisiones suppeditare, quas omnes succincte, collatis inter se peregrinis ac patriis iuribus, expostuit CAR. OTTO RECHENBERGIVS diff. de Comp. Principis e iure rom. ad habitum territoriorum germ. relatis. Ad significandum fiscum vtuntur vulgari nomine camerae, quae tamen vox nec in pandectis, nec codice, nec in nouellis occur-

rit, sed primum in FRIDERICI I, HENRICI VII, FRIDERICI III. constitutionibus, ac dein aliis imperii legibus adhibita est. Vide REGN. SIXTINVS de Regal. I. II. cap. VIII. n. 47.

u) Eminet inter hos I. B. CARP-ZOVIVS p. I. c. 28. dec. 104. n. 2, quem proin notabat ANT. MARA, siue, quod proprium eius nomen est, ELIAS SCHEGAS Tr. de Conc. credit. in foro civ. I. 2. tit. IV. n. 2.

Priori specie abnegandum, meo quidem iudicio, erit fisco ius reuocandi pecuniam, quam vigilans creditor, imminentि concursus iudicio, recepit. Vt enim *fisci non sit, poenam petere, nisi creditores suum recuperauerint*; vt *rem suam persequentibus poenae exactio postponatur*, iterata legum Romanarum vox est w). Ratio huius iuris in promptu est. Nam fiscus captat lucrum, dum persequitur mulctam. Creditores vero, qui imminentि concursus iudicio suum receperunt, de damno vitando solliciti sunt. Melior autem solet conditio esse, incommoda fugientis, quam potentis commoda x). Voluit insuper ALEXANDER noster, vt fiscus non posset vti hoc iure extraordinario, nisi adesset *iusta causa*. Tantum vero abest, vt in hac specie talam causam deprehendamus, vt potius, si credita anteriora mulctae iam demum debitae cedere deberent, atque si proin, posthabitis creditoribus anterioribus, fisco, mulctae obtinenda ergo, ius indulgeremus pecuniam imminentи concursus iudicio receptam recuperandi, idem foret, ac si innocentem adficeremus poena. Hinc non incongrue tam MODESTINVS scribebat y), omnium *fiscarium poenarum petitionem creditoribus postponi*; quam PAPINIANVS dicebat z), placere, *fisco non esse poenam petendam, nisi creditores recuperarent*. Accedit, quod ius fisci ratione hypothecae tacitae est ius singulare. Ius autem singulare non admittit interpretationem extensiua. Sunt forrasse, qui doctrinam hanc abs me traditam ea propter habent tanquam a vero alienam, quoniam HERMOGENIANVS dicere non erubuit a), *fiscum semper habere ius pignoris*. Non curo hanc obiectiōnem. Accidit enim phrasi, fiscus semper habet ius pignoris, quod multis aliis accidere solet, vt scilicet cum alia phrasi confundatur. Diuersa sunt, fiscus habet ius pignoris, et fiscus exercere potest ius pignoris in illorum iniuriam, qui habent iura anteriora quaesita. Illud HERMOGENIANVS tribuit fisco, non vero hoc.

Altera

- w) L. 37. D. de iur. fisci, L. vn. C. x) L. 33. D. de reg. iur. poen. fiscal. Qui mos caeteroquin, etiam Athenis floruisse, videtur. y) L. 17. D. de iur. fisci. Legas GUIL. FORNERII Sel. z) L. 37. D. tit. eod. Iur. lib. III. c. XVIII. ap. OTTO. NEM l. c. tom. II. p. 106. a) L. 46. §. 3. tit. eod.

Altera autem specie res secus se habet, et fiscus iure repetit nummos ab illis creditoribus, imminenti concursus iudicio receptos, quibus debitor obaeratus demum debere incipiebat, posteaquam lata iam erat sententia de mulcta soluenda. De eo enim conueniunt omnes, pro omni debito, oriundo e contractu, tam vere quam quasi tali, bona debitoris obaerati fisco obligata esse pignoris loco. *Certum est*, infit ANTONINVS b), eius, qui cum fisco contrahit, bona veluti pignoris titulo obligari, quamuis specialiter id non exprimatur. At dubium non est, quin in nostra specie altera conspiciamus pignus descendens e quasi contractu. Quum enim obligatio iudicati sit e quasi contractu c): sequi inde, opinor, fisco non posse denegari ius pignoris post sententiam latam, qua ob facinus perpetratum debitori obaerato aut mulcta erat iniuncta, aut publicatio bonorum decreta. Nec est, vt, qui demum, post eiusce generis sententiam latam, ius pignoris consequuti erant, creditores clament de iniuria illata, si ipsis auferuntur nummi, imminenti concursus iudicio, recepti. Nam in hac specie fiscus ratione mulctae gaudebat anteriori iure pignoris, quo ipsum priuare nequeunt creditores posteriores. Et, quod paulo antea adduxi, effatum PAPINIANI non ita accipi poterit, vt fiscus amittat ius commune priuatorum d).

XV.

Indicantur actiones, quibus procurator fisci repetit pecuniam, imminenti concursus iudicio solutam, a creditoribus, quibus fiscus anteferri solet.

Quibus quaeſo actionibus vtitur procurator fisci, reuocatur pecuniam, imminenti concursus creditorum iudicio, receptam a creditoribus, quibus fiscus anteferri solet. Indulgendam illi esse, clamitarib, actionem Paulianam. At, quod tua

F 3

dixe-

b) L. 2. C. in quib. caus. pign.

D. de nouat. Obligatio autem per-

c) Iudicio enim accepto, seu litis contestatione quasi contrahitur, L.

fecta existit demum per iudicatum

vlt. C. de vſur. rei iudic., L. 29.

L. 3. §. 2. D. de pecul.

vtl. C. de vſur. rei iudic., L. 29. d) L. 37. D. de iur. fisc.

dixerim pace, inique ita clamitas. Qui enim in hac doctrina, pene sero, ius ciuile suppleturus actionem Paulianam introducet, Praetor Paulus supposuit negotium, non simpliciter a lege reprobatum, sed potius rescindendum ob interuenientem aequitatem, quae suadebat, ne fraus tam debitoris obaerati, quam creditorum, creditam sortem imminentि concursus iudicio recipientium, caeteris creditoribus damno esset. Tantum vero abest, ut restitutionem sortis, a debitore in fisci fraudem solutae considerari leges voluerint tanquam negotium rescindendum, ut potius eam tanquam nullam habeant, velintque, ut nummos, imminentи concursus iudicio restitutos, procurator fisci reuocet a creditoribus, quos fiscus anteire solet. Non igitur opus ei est actione Pauliana. Auctor ipsi sum, ut confugiat ad actionem Seruianam, et ab hac exspectet auxilium. Quum enim fiscus considerari debeat tanquam creditor hypothecarius, ac ipse habeat in bonis debitoris obaerati ius tacitum pignoris: actione hac recuperabit pecuniam, imminentи concursus iudicio restitutam, vtpote quae constituit partem bonorum, in quibus fisco competitabat ius pignoris. Quid? quod, si ius singulare intuetur, nec proin actionem hypothecariam instituere vult, vt poterit procurator fisci actione directa e), id est tali, quae ex iuri ciuilis specie, puta, principum rescriptis descendit f). Nimiram aut nummi, quos, imminentи concursus creditorum iudicio, creditores a debitorre obaerato receperunt, aut exstant, aut dolo malo esse desierunt; aut tandem bona fide consumuti sunt. Prioribus igitur duobus casibus vii potest procurator fisci rei vindicatione; posteriori vero tantundem condici poterit g). Quo certius autem est, his actionibus memoratis procuratorem fisci repetere nummos, quos, imminentи creditorum concursus iudicio, receperunt creditores vigilantes: eo magis adfirmabis forsitan, parum, imo nihil, interesse, vtrum procurator fisci vtatur actione Pauliana? an rei vindicatione? an condicione? Multum omnino interest, vtrum

e) L. 18. §. 10. D. de iur. fisci.

f) Saepe actio directa opponitur praetoriae, et significat eam, quae descendit ex iure ciuili stricto. Vide, praeter L. 6. C. quib. non obicit. long. temp. et L. 24. C. de rei vindic.,

BARN. BRISSONIVM de Verb.
Signif verb. directus

g) L. 21. D. de iur. fisc. Iungas G. E.
OELZE Diff. de Creditore vigilante §. 29.

Vtrum procurator fisci ad istam actionem, an vero ad hanc confusat? Si s enim vtitur actione Pauliana: opus omnino est, vt probet dolum tam a debitore obaerato, quam a creditoribus commissum, quum, imminentि concursus iudicio, reciperent fortem creditam. Immunis vero est procurator fisci a suscipienda tali probatione, quando pecuniam receptam, de qua loquor, reuocaturus auxilium petit aut a rei vindicatione, aut a conditione. Si insuper procurator fisci, directa actione pecuniam, imminentि concursus creditorum iudicio, receptam repetit intra quadraginta annos, opponi ipsi non poterit praescriptionis exceptio; vtpote constat, actionem hanc extingui demum iugi quadraginta annorum spatio h). Intra brevius vero tempus e contra ius suum amittet procurator fisci, quando creditores vigilantes conuenit actione Pauliana. Legimus enim, anni spatium huic actioni instituenda definitum esse i). Negari interum nequit, quod, si creditores, in ius vocati ad preces procuratoris fisci, restituerunt nummos, imminentि concursus creditorum solutos, non modo principalis actio erga debitorem obaeratum instituenda reuiuiscat k), sed quod etiam in fideiussorem, tali solutione liberatum, actio vtilis detur l), ac insuper, quod habuerunt, ius pignoris de-nuo consequantur m).

XVI.

Inquiritur, quibus hodie in Germania memoratum ius singulare fisci, puta, ius reuocandi pecuniam, imminentि concursus iudicio solutam, competit.

Ad vnum omnes vno ore fatentur, in alma Germania iura fisci competere non modo Imperatori, sed insuper reliquis quo- que

h) L. 4. C. de praesc. 30 vel 40. ann.

i) L. 6. §. vii., L. 10. pr. D. quae in fraud. credit. Quod temporis spatium L. fin. C. de temp. in integr. restit. committatum esse, non puto.

Nam quadriennium restitucionibus tantum, tam ratione initii, quam cursus, competentibus subtilitatem

est. Annus vero, actioni Paulianae determinatus, vtilis dntaxat est est ratione initii, non vero ratione cursus, prout id elucet e cit. L. 6. §. vltim.

k) L. 18. §. 10. de iur. fisci.

l) L. 20. D. ib.

m) L. 21. D. tit. eod:

que Imperii Proceribus. Hinc optimo iure illis tribui debet ius singulare, de quo haec tenus egi, puta, ius reuocandi res, quas fraudator, imminenti concursus iudicio, in fraudem aerarii Principis dolo malo possidere desit n). Quum me legisse, meminerim, quod, *satis irrationale*, diuus IVSTINIANVS dixerit o), diuerso iure iudicare, quae ex rebus fiscalibus et ea, quae ex priuata Principis substantia praeveniunt; aut fallor, aut statuendum erit, optimo iure reuocari res, quas, imminenti concursus iudicio, alienauerat debitor, fraudatus priuatum Principis patrimonium. Quid? quod, cum aliis hilarioris famae iureconsultis p), hypothecam ac priuilegium fisci vindicandum esse, opinor, et Augustae, et designato principatus heredi, adeoque nec tales personas illustres excludendas esse a iure, de quo est sermo. Ut ita sentiam, me mouet auctoritas VLPIANI dicentis q), quodcunque priuilegii fisco competit, hoc idem et Caeſaris ratio et Augustae habere solet. Ne te vox Caeſaris deterreat ab amplectenda nostra sententia, scias velim, viros eruditos docuisse r), nomine Caeſaris non modo Imperatorem, sed etiam designatum imperii successorem comprehendendi. Caeterum dubium non est, quin Comitibus et Baronibus, imperio fine medio subiectis, et sessione in et votum in comitis habentibus, ius superioritatis tribui debeat. Huic rei hoc est consentaneum, vt gaudeant iure fisci s). Hinc etiam iisdem illis non denegandum erit ius, de quo loquor. Eo autem, quod mireris, nobilium, imperio romano germanico fine medio subiectorum res rediit, vt, ingeniosius, non dicam, an audacius, coepit disperari, vtrum illis tribui debeat ius fisci? Qui id ius indulgent nobilibus, fine medio subiectis imperio t): illi non conueniunt in

- n) Si exempla legere animo gestis: §. 21., IOH. AVG. HELLFEL-
adeas quaelo IOH. RVD. ENGA- DIVS Opusc. p. 262.
vii Decis. et Resp. Iur. selecta q) L. 6. §. 1. D. de iur. fisci.
dec. 104. r) ERH. REV SCHIVS Diff. I. de
o) L. 3. Cod. de quadrien. praeſc., Imperat. titulo. §. 9. et CHRIST.
§. 14. I. de vſuc. CELLARIUS Prog. IV.
p) FRID. ES. a PVFFENDORFF s) W. A. LAVTERBACHIVS Diff.
Obſ. tom. IV. obſ. 261., CHRIST. de Iur. Fisci, cap. II. §. II.
GOTTL. GMELIN l.c. cap. IV. t) Eminent inter hos PHIL. KNIP-
SCHILD

in rationibus ea propter adducendis. Hos vides, pro afferendo iure fisci nobilibus, de quibus loquor, yrgere ius territorii: illos adducere iurisdictionem ac merum imperium: alias tandem affirmare, opus esse, speciali concessione Imperatoris, aut praecriptione. Mihi hic nec scribitur, nec metitur; quamvis negari nequeam, ultimam opinionem p[ro]ae reliquis mihi arridere. Si autem nobilibus, de quibus est sermo, competit ius fisci: sequitur, iisdem indulgendum quoque esse ius reuocandi res, in ipsorum fraudem imminentis concursus iudicio alienatas. Ciuitates imperii legum publicarum beneficio impetrarunt superioritatem territorialem u), eademque in conspectu totius Germaniae vntur quotidie. Si igitur ciuitates imperii liberae vtuntur iure superioritatis: tanto magis illis vindicare possumus ut generatim ius fisci, ita etiam illorum aerariis ius singulare, quod exposui, quanto certius est, argumentum a iure superioritatis territorialis duci posse ad ius fisci. An autem et de ciuitatibus municipalibus idem dicendum sit, ardua est quaestio? De qua, quae mihi sit mens, candide aperiam. Annalium monumentis edocti scimus, moribus antiquis inualuisse consuetudinem, vi cuius magistratus ciuitatum municipalium sibi vindicabant bona vacantia. Quum iuris ciuilis doctores illustrarent ius saxonum, hanc consuetudinem, e quorundam doctrina, adprobans w): accedit, quo fato, nescio, vt inquirerent in huius consuetudinis rationes, easdemque in eo sepe inuenisse, laetarentur, quod magistratus ciuitatum municipalium, qui gaudebant iure occupandi bona vacantia, haberent iurisdictionem criminalem, seu, prout loquuntur, merum imperium. Quam hypothesis eo usque extendebant, vt aliis persuadere non erubescerent, illum, penes quem est merum imperium, habere omnia iura fiscalia,

ac

SCHILD *Tract. de Iurib. et Privil. Nobil. et Ord. Equestr. libr. III.*
cap. 2. n. 21, sq. et cap. 4. n. 2. H.
HENNIGES *Medit. ad cap. Josephi art. 26.* IOH. IOD. BECKIUS *de Iur. Detracit. cap. II. obs. VI.*

w) *Vid. Instr. Pac. Wesp[her]. Art. VIII.* GERICI *Vitriarium illustr. I. III.*
Lungas IOH. FRID. PFEFFIN- tit. XV. §. 13. GABRI. SCHWE-
GERI *Ius Publ. part. Spec. sect. II.*
cap. IX. §. 3. et CH. WILDVO-
GELII *Diss. de Super. territor.*
ciuitat. imperial.

w) *Spec. Saxon. libr. I. art. 23.*
Weichbild. Magd. art. 49.

G

ac proin magistratibus ciuitatum municipalium eadem iura tri-
buenda esse, si modo haberent iurisdictionem criminalem. At
quam egregie fallant, incauteque, pro iure fisci ciuitatibus
municipalibus afferendo, implorent ius saxonicum, vide. Ut
enim non dicam, auctorem speculi saxonici, tribuentem iudi-
cibus ius occupandi bona vacanta, loqui non de omnibus bo-
nis vacantibus, sed tantummodo de mobilibus. Patet id non
solum ex ultimis articuli, a ciuitatum municipalium oratoribus
mihimet oppositi verbis, sed insuper etiam ex eo, quod ipse
iuris saxonici auctor alia proferat de iure occupandi bona im-
mobilia vacantia x). Id vero annotasse, e re mea erit. Scilicet
dubium est, an memoratus articulus iuris saxonici loquatur
tantummodo de iudice, qui praeditus est iurisdictione criminali?
an vero e contra subintelligendus sit iudex supremus? Hoc vult
glossa, quam, vtut alias fallacem, hic non fallere, alia speculi
saxonici loca ostendunt, quibus judicis appellatio latissime patet,
ipsumque vel Regem y), vel Principem z) denotat. At quid
multa congeram? Nam si etiam textum iuris saxonici intelli-
gamus de iudice, penes quem est iurisdictione criminalis; si insuper
dicamus, auctorem iuris saxonici indulgere tali iudici ius
occupandi, non mobiles tantum, sed quasvis res vacantes:
nihilominus tamen contorta esset argumentatio, quando eam ab
hoc iure occupandi bona vacanta duceremus ad ius fisci ciuita-
tibus municipalibus vindicandum, aut earum aerariis adseren-
dam ius, quod exposui. Strictae enim interpretationis esse, ec-
quis neget, concessionem regalium a), inter quae suo iure lo-
cum experit ius fisci? Quamuis igitur in Saxonia vrbes, iuris-
dictione criminali gaudentes, et quedam extra Saxoniam b), parte
iuris fisci, puta, iure occupandi bona vacanta gaudent: tamen,
quic-

x) Spec. Sax. l. c. art. 80.

y) Spec. Saxa. libr. III. art. 26. Der
König ist ein gemeiner Richter
überall; et art. 52. dicitur, Den
König wählt man zum Richter über
Eigen und über Lehu, und über
eipes jeglichen Mannes Leib.

z) Sp. Saxoni, libr. II. art. 26.

a) FRID. ES. a PUFFENDORFF
de Iurisd. Germ. §. 184 sq.

b) Ita hoc ins, ex duas defunctorum
occupandi, vribus Hanneensi, VI-
zenzi et Stadensi competere, testes
sunt FRID. ES. a PUFFEN-
DORFF Obs. libr. III. obs. 74. et I.
HEIN. IC H. a SELCHOW. Elcm.
Iur. Brunsf. Lumb. §. 71, et 366.

quicquid alii in contrarium dicunt c), non statim vrbium municipalium aerariis tribui debet ius fisci, hinc nec ius illud singulare, quod exposui. Opus est, vt, si hoc iure eminentiori vti volunt, id nanciscantur a principe; siquidem hoc ius paulo eminentius nec vi aerarii vrbici, nec vi iuris lubecensis impetratur. Nam concessio iuris lubecensis ea iura non tribuit, quae magistratui Lubecensi vi superioritatis territorialis competit d). Nec alienationes regalium, ac proin nec ius fisci, et hoc ab illo dependens ius abs me illustratum, magistratibus municipalibus indultum esse, praesumitur, nisi Princeps id diserte dixerit.

XVII.

Excipiuntur porro a regula, paragrapbo IX. adposita, creditores, quibus omnia debitoris bona sunt obligata, quiue prom reuocant pignus, quod alias, imminenti concursus iudicio, traditum accepit.

Si unus alterius, natura voluptuarius, inde a somno et lectuli complexu aquam caldam, vinumque ingurgitat; si per totam diem mente captus errat, dormitat, ludit, amoribus incensus obscoena cantat, donec vino oppressus deficit et consopit; si nihil rerum aut diuinarum aut humanarum cogitat, nihil officii sui curat, solitudinem sibi acerbissimam, familiarium autem et scurrarum concionem iucundam iudicat; si, dum ad luxum omnia componit, opinione citius ne quidem in uno fundo suspirat nummus, atque si proin a ditionibus nummos creditos accipit, bona obstringit, ac ex bonis, hypothecae iuri obnoxiiis, unam alteramue rem alii tradit; si tandem eidem illi, multis nominibus obligato, praeter opinionem funus fit: oritur saepe inter creditores hypothecarios et pignoratios μέγας αγών επιτάχειος, magnum funebre certamen, eiusmodi tamen, vt ex iure manus consertum non ferro, sed doctis dictis singuli nummos creditos recipient. A creditoribus, quos hypothecarios nominamus, vrgeri vides, vt restitueretur pignus e rebus, iure hypothecae

G 2

c) Vid. DAV. STRUBEN II Rechtl. d) Id docuit GEORG. LVD. BOEHMERVS Progr. de Recept. Iuris Lubecens. ius fisci non inferente.
Bedenken tom. IV. p. 421.

thecae obstrictis traditum, quum immineret concursus creditorum iudicium. Quaeritur, an pignoris restitutionem iure possulent? annon vero e contra potius creditor pignoratius gaudeat iure insistendi pignori, usque dum creditam sortem est nactus? Inter omnes constat, hypothecam generalem, si quae constituta est, adficere debitoris bona, praesentia aequa ac futura, breuiter, omnia, quae creditori securitatem praestare possunt. Opus igitur esse, arbitror, ut ius creditoris hypothecarii et tunc maneat saluum, quando debitor obaeratus religioni non ducebat, imminentि concursus creditorum iudicio vnam alteramue rem, hypothecae nexu obstrictam, alii tanquam pignus tradere. Volunt enim leges, iubentque e), ut, si generaliter bona sint obligata, et postea res alii specialiter pignori dentur, nihilominus e generali obligatione potior babendus sit creditor, qui antea contraxit, et non oporteat ab eo, qui postea credidit, inquietari; porro, ut, qui generaliter bona creditoris acceperit, eo potior esset, cui postea praedium ex his bonis datur. Quum igitur, secundum legum placita, non tam possessionis ratio habenda sit, quam potius temporis, qua nancisebatur creditorius: pignorum possessores cedere debent creditoribus, vel momento prioribus, id est, illis, qui prius, quam posterior creditor, imminentि concursus iudicio, rem ex bonis obligatis tanquam pignus acceperat, debitori numerosos creditos dederunt, et aut hypothecam sibi constitui curarunt, aut eam legum beneficio acceperunt f). At quando talis pignoris restitutionem vrgent ii creditores, qui nullum ius eminens ex hypotheca vel generali, vel speciali obtinuerunt: creditor pignoratius, exceptione retentionis et doli mali, se tueri potest aduersus creditores, pignus, antequam sibi satisfiat, repetentes. Sic ergo, moto dein concursus creditorum iudicio, non tollitur, deficientibus creditoribus, ius singulare in pignore habentibus, ius retentionis, quod pignorum possessoribus acquisitum est g).

Ob-

e) L. 2. D. L. 6. C. quē potior. in pign.

f) Eandem vim tacitae hypothecae esse, quae est expressae, docuit
LOH. NIC. HENTIVS de Pign.
Conv. tac. §. vii. Secus sentientes
memorauit KEINH. BACHOV.

vs Tr. de Pign. cap. VII. n. 1.

g) Ita mecum sentiunt D. MEVIVS
P. II. dec. 15. P. VIII. dec. 40. et
GEORG. LVD. BOEHMERVS
Diff. de Iure Retent. eiusq. Effect.
§. 19.

Obiicis forsitan, ius hypothecae constitutum non impedit
alienationem h). Conclades proin, tantum abesse, vt hypo-
theca generalis constituta impedit traditionem pignoris, vt
potius possessio pignoris, imminentि concursus creditorum iu-
dicio licet constituti, ius antiquius creditorum hypothecariorum
impedit, nec res hic secus se habeat, ac vt, re eadem duobus
personis vendita, is rei venditae dominus nequaquam euadat,
quocum primum contraxisti, sed is, qui prior rem a te traditam
acepit i). At nullus pertimesco dubium allatum. Quum enim
ea sit hypothecarum indoles, vt res obligatas adficiant, adeo
vt subnatum inde ius nec refigi, nec remoueri queat: aut fallor,
aut quiuis fatebitur, res oppignoratas non aliter in alios trans-
ferri posse, nisi cum suo onere k). Ex hoc vnicō, vt egomet
quidem arbitror, momento liquet, creditores hypothecarios
anteriores optimo iure vindicare pignoris possessionem, nec cre-
ditores pignoratios se subducere posse oneri, pignus restituendi,
quod, imminentि concursus creditorum iudicio, e bonis antea
obligatis traditum acceperunt. Nescio, an, pro oranda mea
causa, et hoc addam? In ea nimirum incidimus proh dolor!
tempora, quibus debitores obaerati fraudem ali, quam suum
cuique tribui, aequius ducunt, quibusque frustra, liceat cum
poeta loqui 1),

Pauci ridiculum effugientem ex urbe pudorem.

Non mirum proin, si debitores, de corrupto saeculi more amittendi
nummos creditos, querantur, atque si indigentiores aeris ali-
eni fidem non prius inueniant, quam dederunt pignora. An con-
suetudo, tam multa constituendi pignora, iam olim inualuerit, ne-
scio? Id autem me non fugit, quod, quo pluribus pignoribus quis
sedeuincire solet: eo certius iudicium inde exsurgit, vt res debitoris,
cum fortunae iniuitate conflictantis, iusto citius ad restum rede-
ant. Dum enim fides debitoris vacillat: aut ipse, aut in con-
silium adhibiti proxenetae, pignora offerunt, iuris hypothecae,
in rebus tanquam pignus iam tradendis, olim constituti imme-
mores. Hac vero ratione inueniunt creditores, qui fidem pig-

G 3

no-

h) Arg. L 12. C. de distract. pign.

k) L. 6. C. qui potior. in pign.

i) L. 15. C. de R. V.

l) IYENALIS Sat. XI.

norum sequuntur. Nonne vero, ita te interrogare liceat, nonne debitor res, ter quaterque obligatas, denuo alii tanquam pignus offerens doii commissi poterit incausari? Nonne in eodem deprehendimus voluntatem, rebus tanquam pignus alii tradendis imminentia concursus creditorum iudicio, decipiendi creditores anteriores, eosdemque ob constitutum hypothecae ius anteriores? Nonne ergo talis actus, in fraudem creditorum suscepitus, rescindendus erit, et pignora restituenda veniunt? Si id non concedimus: viam me hercule! aperimus fraudibus, et transgredimur limites legis, quae vult m), ut alteri per alterum non debeat conditio iniqua inferri.

XVIII.

Hinc possessor pignoris, qui hoc imminentि concursu accipiebat, idque, illo iudicio pendente, alienauerat, ad premium conferendum in commune compellitur.

Non raro inter creditores ac debitorem obaeratum conueniri solet, ut, ne ius possidendi et retinendi pignus duret in perpetuum, aut ne damno creditoris cedat, debitor huic indulgeat ius distrahendi pignus, ac ex pretio recipiendi nummos creditos. Quid igitur dicendum erit, quando adest tale pactum, ac quando, debitore moram necesse, creditor vendidit pignus, quod e rebus iam obstrictis consequutus fuerat imminentia concursus creditorum iudicio? Num quaeſo vrgeri poterit, ut creditor pignoratius in commune conferat premium, e pignoris venditione, pendente concursu suscepta, redactum, quod adhuc possidet? Si concurrent, quibus aut antiquior, aut ex alio capite posterior hypotheca constituta est: putarem, ipsos summo iure vrgere, ut exhibeat tale premium ad manus constituti curatoris honorum n). Dum enim creditor pignoratius distrahebat pignus, de quo loquor: fraudem inferre videtur creditoribus et antiquioribus, et hypothecam potiorem habentibus. Ac quium idem is creditor teneatur obstrictus, restituendi pignus, quod e rebus obligatis imminentia concursus iudicio traditum accepit; quam-

m) L. 74. de reg. iur.

n) Vid. praeiudicium apud LEYSE-

RVM Specim. CCCCLXXXVI.
med. III,

quumque restitutio, ob insequitam venditionem, fieri non possit: iure summo compelli poterit, ut pretium, e vendito pignore redactum, cedat administrationi curatoris. Aut fallor, aut nostrae sententiae et vel exinde robur accedit, quod leges dicant, o), creditorem secundum distractabendi potestatem huius pignoris non consequi, nisi priori creditori debita fuerit soluta quantitas.

Nec me in angustias rediget, qui contendet, pecuniam, e vendito tali pignore redactam, non esse in patrimonio debitoris obaerati, atque hinc concludet, tanto minus creditori, talem pecuniam tenenti, necessitatem imponi posse, pignus ad manus constituti curatoris bonorum exhibendi, quanto certius est, surrogationem in particularibus non inuenire locum. Lubens concedo, pecuniam, de qua loquor, non esse in bonis fraudatoris. Sed quum ex iis, quae anteriori paragrapho adduxi, pateat, creditoris, qui pignuse rebus iam obligatis datum tenet, nec tamen inter creditores praecipuos est, esse, ut relinquat pignoris possessionem creditoribus, quibus aut antiquior aut generalior hypotheca constituta est; quumque vendito pignore fieri non possit, ut id cedat curatori bonorum: sequitur, pecuniam in locum pignoris venditi succedere, et ius anteriorum creditorum adficere p),

Pariter contrariae opinioni pondus non accedit, quod leges dicant, actione Pauliana non teneri vigilantes de iure suo q); inter quos, ex securis sentientium doctrina, eminent creditores, qui, imminentि concursus creditorum iudicio, pignus sibi dare curauerunt, idque dein, debitore in soluendo moram nesciente, alienarunt. Nam id eatenus concedo, quatenus creditor, nummos creditos recipiens, potior est reliquis. Tunc enim, quod imminentि concursus iudicio accepit, non tendit in damnum creditorum anteriorum, qui illum proin reluctantem nec in iudicium trahere, nec poscere possunt, ut, quos de iure suo vigilans recepit, nummos in commune conferat. At securis res se habet, si posterior creditor per gratificationem aliquid accipit: qualem gratificationem vero deprehendimus, quando creditor litt-

o) L. 8. C. qui potior, in pign.

q) L. 6. §. 7. D. quae in fraud. cred.

p) Arg. L. 18. D. de pign. act.

litteralis, aut posterior, e rebus, in quibus alii iam habebant ius, imminentि concursus iudicio pignus accipit. Hunc enim conueniri posse actione Pauliana, infra docebimus. Accedit, quod non definit dolo malo possidere, qui scit, alium in pignore, quod tenebat, ius potius habere, atque nihilominus id, excitato concursus iudicio, alienat. Diuersam insuper, ecquis in dubium vocet, esse rationem illius, qui vendito pignore sibi soluebat, ac istius, qui a debitore restitutos accipiebat nummos creditos? Illum enim, qui rem alii obstrictam tanquam pignus nanciscebatur, alienare talen rem non posse, colligi potest e verbis legis, hac in paragrapho recitatae.

XIX.

Memorantur actiones, quibus creditores hypothecarii reuocant pignus, posteriori creditori, e rebus antea obligatis, imminentи concursu datum.

At quibus fodes actionibus, ita forsitan nostrae sententiae subscribens interrogas, creditores hypothecarii reuocant res antea alii obligatas, quas vero creditor posterior, ad tribunal vocandus, imminentи concursu tanquam pignus traditas accepit? Ut confugiant, auctor sum, ad actionem in rem, quae Seruiana vel quasi Seruiana audit. Sicuti enim vtraque haec actio moueri potest aduersus quemvis rei oppigneratae possessorem ad hanc vindicandam r): ita etiam dubio caret, quin harum actionum ope creditores hypothecarii reuocari queant res, in quibus hypotheca generalis ipsis est constituta, et e quibus vnam alteramue creditor secundus tanquam pignus imminentи concursu accepit. Nec quicquam refert, an bona fide? an dolo malo debitor obae-ratus tradiderit talen rem instar pignoris? Cae caeterum, hoc eam vim habere, existimes, ut cum IOH. S), et A. FABERIS t), IVST. HENN. BOEHMERO u). OSW. HILLI-

GERO

r) §. 7. I. de act.

Ibr. XX. tit. XVI.

s) IOH. FABERVS Comm. ad I. tit. u) I. H. BOEHMERVS Conf. et Dec. de act. §. 9. n. 22. tom. II. part. I. resp. 406. qu. 7.

t) A. FABERVS Coni. Iur. Civil. n. 47.

GERO w), GOTTL. LVD. MENCKENIO x), aliisque doceas, creditores, de quibus sermo, non aliam ac utramque Seruianam actionem habere, et eosdem proin excludendos esse ab vsu actionis Paulianae. Tametsi enim nullus abnuerim, actione Seruiana vel quasi Seruiana maiorem utilitatem exspectare creditores hypothecarios, quam ab actione Pauliana, vtpote illa in iudicium deducta, nec in debitore alienante, nec in possessore villa habetur ratio fraudis commissae, licet rem vindicandam acquisiuferit titulo lucrativo: attamen et id fatendum erit, actionem Paulianam longe pinguiorem esse utraque Seruiana actione, si speces probationem suscipienda. Nam si creditores hypothecarii, aut, illorum nomine curator bonorum y), consugunt ad actionem Seruianam vel quasi Seruianam; si dein creditor pignoratius in ius vocatus abnegat dominium debitoris, qui rem iam vindicandam alii antea obligauerat: probationem hac de re ut actor suscipiat, necesse est; quae vero, dici vix potest, quantis difficultatibus prematur. Quas quum animaduerterent IOACH. MYNSINGERVS z), IO. BENED. CARPOZOVIVS a), G. AD. STRVVIUS b), NIC. de LYNCKER c), GVST. BERNH. BECKMANNVS d): nulli dubitarunt, et creditoribus hypothecariis indulgere actionem Paulianam. Ut in horum sententiam eam, suadent generalia edicti verba e). Scimus insuper, in iure nostro nouum non esse, ut de vna eademque re concurrent plures actiones. Quare non et hypothecariis creditoribus succurramus pluribus actio-

w) O. HILLIGER *Don.* enudeat. l. XXIII. c. XVII. lit. m.

x) G. L. MENCKENIVS *Dissertat.* cit. §. 5.

y) Huic indulgeo hanc actionem, non vero contradictori. Nam vices debitoris sustinet, atque proin, si vindicare vellet pignus imminentि concursus iudicio traditum, illi iure opponi posset exceptio rei tractitae. Vid. I. B de WERNHER P. IV. obf. 68. P. IX. obf. XV., IOH. ANDR. HOFFMANN *deutsche Reichspraxis* alter Theil §. 1246.

z) I. MYNSINGERVS a FRONDECK *Comm. ad Inst. tit. de act.* §. 4. n. 17.

a) B. CARPOZOVIVS *Resp. libr. I.* tit. IX. resp. 83. n. 15. sq.

b) G. A. STRVVIUS *Ex. XLIV.* §. 75.

c) N. a LYNCKER *Anal. Iur. Civ.* p. 406.

d) Vid. G. A. BECKMANNI *Diff. de Debit. Obuerat. in praciud. cred.* non acquir. §. 4.

e) L. i. §. i. D. quae in fraud. cred.

actionibus, quarum ope creditor pignoratius compelli poterit ad restituendum pignus, quod, imminenti concursu iudicio, sibi traditum tenet.

XX.

Inquiritur insuper, quatenus creditores hypothecarii actione Seruiana reuocant res imminentि concursu in solutum das quidem, sed non consumtas.

Apes imitamus, qui, delibato paululum floris infessi succo, ad alium vehuntur celeri volatu. Progredimur itaque ad quaestione, quaestioni modo illustratae connexam, vltiorique disquisitione dignam, an nimiri hypothecarii creditores actione Seruiana vel quasi Seruiana reuocare possint rem non consumtam, quam e rebus antea obligatis creditor secundus, imminenti concursu, in solutum acceptam tenet. Evidem me non fugit, e doctrina HARTM. PISTORIS f), MATTH. BERLICHII g), IO. BEN. CARPOVII h), BALTH. a WERNHER i), creditores hypothecarios, res in solutum acceptas non consumtas, reuocare, nullo inter eiusdem generis res obseruato discrimine. Incongrue, vt ego quidem puto, negligunt distinctionem necessario hic adhibendam. Temerarium esse, occlamas dubio procul, sua sensus abundantia aduersus tot anteriorum saeculorum homines eruditos, rerumque peritos stare, et cornicum, ceu in proverbio dicitur, oculos configere velle. Clamare define quaeso, et patere potius, vt tibi meam mentem hac de re appeariam. Si quaedam res soli, aut saltim talis, quae classi rerum immobilium adscribitur, oneratur hypotheca constituta; si deinde eadem illa res, imminenti concursu, creditoribus hypothecariis insciis, creditor aut literali, aut posteriori, datur in solutum, ac penes hunc, excitato deinde concursu, adhuc exstat: dubio caret, quin vindicari possit actione, de qua loquor. Nam de huius generis rebus dici potest, quod paragrapho vndecima dixi, res,

f) H. PISTORIS *Qu. Iur. part. III.* h) I. B. CARPOVIUS *part. I. const. qu. 20. n. 1. sq.* 28. def. 179. sq.

i) B. a WERNHER *Sc. obs. for. part. VIII. obs. 293.*

res, constituta hypotheca, transire cum onere in quemque possessorum, adeoque etiam in creditorem posteriorem. At si res mobilis in solutum datur: videndum esse, opinor, an creditor secundus tales res mobiles in solutum acceperit, quae pretiosae usui quotidiano non inseruiunt, quibusue fraudator mercaturam instituere non solet? an vero in solutum dabantur res, quae aut viles ad usum quotidianum sunt destinatae, aut quibus debitor mercaturam quotidie exercet? Quod modo de rebus immobilibus tuli; idem iudicium fero de rebus mobilibus prioris generis, in solutum datis. Iurare namque auferim, creditores, quum in vniuerso debitoris obaerati patrimonio hypothecam sibi constitui curauerunt, respexisse ad has res. Pecuniam non credidissent, quando in debitoris obaerati patrimonio tales res repartae non fuissent, a quibus securitatem credendi nominis exspectabant. Aequius proinde est, ut iisdem illis actione hypothecaria succurramus aduersus creditorem pignoratum posteriorem, quam ut illi, per huius facta, iure suo posteriori priuentur, et incommodo adficiantur. Secus vero dicendum erit de posterioris generis rebus mobilibus in solutum, imminentि concursu, datis, quas, et si consumtae non sunt, reuocari a creditoribus hypothecariis non posse, statuo k). Fingas, rem exemplo quodam illustratus, fingas, in Sosiae cuiusdam domo quotidie prandio frugali, et ferme Pythagorico, adesse iuuenes corpore valentes, ac ad huius saeculi lucidi genium mire compositos; quorum iste carmina heroica centum uno halitu exspirat, idyllia euomit, in quauis coena sternutat mille epigrammata, et, quando e re Sosiae esse videt, comoedias, tragedias scribillat, et venis tumescientibus, inquietisque manibus iactatis, aliorum monumenta ingenii in ephemeredibus iudicat, ita tamen, ut pro iudicio conuitum, clam per scelus conceptum, edat; ille doctor semestris, proletaria scientiae opinione tumidus, ex aliorum manuscriptis, quorum nomina silet 1), plumas decidas, ut ille Aesopi graculus, sine pudore colligit incurius, quod furti manifesti inculpetur; hic, manibus carneis, adeoque aptis scriptori, a natura praeditus, materiam in variis libris

H 2

di-

k) L. 6. seq. D. de pign. et hypoth.

1) Exempla sifit CAR. FERD. HOM. MELIVS Litt. Iur. c. XVII. §. n4.

dispersam, in vnum volumen coaceruat, et, plaudite, o viri loquaces! qui maultis docti videri, quam fieri, plaudite, in vsum vestrum sub splendido encyclopaediarum encomio rudem indigestamque molem edit, ac vias virorum excellentium penicillo ita adumbrat, ut mox inscitia, mox libidine fingendi, et ad Poetae dictum

Tunc immensa caui spirent mendacia folles,
ac vi insuper non historiam, sed falsitatis quendam centonem videoas, quem sub acumine stili perire melius sit, quam imperitorum manibus teri, ne sub historiae titulo ad sensum palam inveniat, quod opinione veritatis typis donatur. Fingas, quidquid iuuenibus hisce, vel festinanter scribentibus, excidit, Sofiae imperialis reddi machinarum ministerio, ac exire in dias luminis auras. Fingas et vel tandem praeterlabi tempora, quibus nomina inania contemnuntur, quibusque Sofias nostrar, quum suorum operariorum eruditorum libelli, ab omni litteraturae colore alienissimi, emtores nec inueniant, nec de hisce puerilibus ineptiis praedicari possit,

Hic meret aera liber Sofis,
eo vsque se adigi dolet, ut patrimonii iacturam, saltim vsque ad futuras nundinas Lipsienses, amoturus non modo chartas has deferi curet ad iugiuendum

Vendentem thbus et odores,
Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis,

sed etiam permagnum cumulum librorum venalium cetario, creditori litterali, in solutum det. Si creditoribus, quibus in taberna Sofiae hypotheca generalis fuit constituta, auctor esses, ut actione Seruiana vindicarent a cetario libellos, quos in solutum datos tenet: periculum est, ut risum moueas cetarii oratori, quod nescias, *SCAEVOLAM* iam olim ita respondisse m), cum tabernam debitori creditoris pignori dederit, quae situm est, vtrum eo facto nihil egerit, an tabernae appellatione merces, quae in ea erant, obligasse videatur? et si ea merces per tempora distractarit et alias comparauerit, easque in eam tabernam intulerit et deceperit, an omnia, quae ibi deprehenduntur, creditor hypothecaria actione petere possit, cum et mercium species mutatae sint, et res aliae illatae?

m) L. 34. pr. D. de pign. et hypoth.

Re-

Respondit: Ea, quae mortis tempore debitoris in taberna inuenta sunt, pignori obligata esse videntur.

XXI.

Hinc creditores hypothecarii rerum, imminentि concursu in solutum datarum, quas vigilans creditor bona fide consumebat, aestimationem condicere nequeunt

Qui vnam alteramue rem, e rebus antea alii obligatis, imminentि concursu, accipiebat, eandemque prius, quam creditores hypothecarii aduerius ipsum mouebant actionem Seruanam vel quasi Seruanam, bona fide consumebat: is securus est dein. Quum enim rem, de qua loquor, nec possideat, nec dolo malo possidere desierit: locum non inueniet actio hypothecaria. Constitutum namque legimus n), in vindicatione pignoris quaeri, an rem, de qua agitur, possideat is, cum quo actum est, eumque, si non possideat, nec dolo fecit, quo minus possideat, absolvi debere. Nec timet idem is actionem personalem. Nam nec contrahebat, nec quasi contrahebat cum creditoribus, quibus longe antea res in solutum data fuerat obligata, nec etiam successor erat debitoris, quocum inierat contractum pignoris. Quid? quod creditores hypothecarii ipsum conuenire nequeunt conditione ex lege. Nullam enim deprehendes constitutionem, quae decernit, vt condici queat aestimatio rerum, de quibus loquor. Opus vero est, vt, si conditione hic vii vellemus, adesset lex indulgens conditionem petenda aestimationis. Accedit, quod vigilans creditor, cui res oppignorata, imminentि concursu, solutionis loco tradita est, rem talem non sine causa acceperit eo tempore, quum debitori obaerato nondum ademta esset bonorum administratio. Cessare vero conditionem sine caussa, inter omnes constat o), quando quis accepit rem non sine caussa. Aut fallor, aut species nostra non absimilis est ab illa, de qua GAIUS ferebat reponsum p). Misquerat aliquis, in seio vel intuito domino, alienos nummos, et ita misquerat, vt discerni non possent. En exemplum consumptionis civilis. Quid reponebat GAIUS? Num,

H 3

illo

n) L. 16. §. 3. D. de pign.

o) L. 1. §. 3. D. de condic. fine caus.

p) L. 78. D. de solut.

illo suadente, aestimationem nummorum commixtorum petere poterat dominus? Non. Vult, vt tales nummi eius fierent, qui accepit, ac vt actio domino contra eum, qui dedisset, furti competenter. Labefactare quidem doctrinam hucusque traditam satagent viri, paraprapho anteriori memorati, qui non modo diuum **IUSTINIANVM** adhibent in consilium, sed insuper sententiam ab ipsis propositam stippare conantur variis doctorum testimoniis. Quibus egomet tamen, si e re, esse videtur, obiicere possum auctoritatem **AVG.** a **LEYSER** q), **VLR.** **HUBERI** r), **F RID.** **VLR.** **PESTELII** s), **GOTL.** **EVS.** **OELZE** t). Nondum abiicio animum. Non enim verbis, non doctorum opinionibus, sed compositis rationibus et legibus scriptis certandum est. Videamus igitur, an contra me, vt aiunt aduersarii, pugnant haec constitutionis **IUSTINIANAE** verba u);

Sin vero heredes res hereditarias creditoribus hereditariis pro debito dederint in solutum: vel per donationem pecuniarum satis eis fecerint: liceat alii creditoribus, qui ex anterioribus veniunt hypothecis, aduersus eos venire (a) posterioribus (creditoribus) secundum leges eas abstrahere, vel per hypothecariam actionem, vel per condicione ex lege, nisi voluerint debitum eis offerre.

Dum diuus **IUSTINIANVS** non solum de hypothecaria actione, sed etiam de condicione ex lege loquatur: ex securis sentientium doctrina, legislator optimus innuit, nihil referre, utrum res hypothecae obnoxia extet? an consumta sit? utpote condicio ex lege, rebus in solutum datis non extantibus, locum demum inuenit. At corruit, vt ego arbitror, argumentatio haec, si modo ante oculos ponas speciem, de qua cogitabat **IUSTINIANVS**. Continet haec constitutio beneficium inuentarii, quo Imperator heredem frui voluit. Iussit dein, vt, qui, inuentario confecto, adiit hereditatem, et creditoribus aequa ac legatariis soluit, non inquietaretur, sed vt creditores aduersus legatarios experiri, ac vel actione hypothecaria, vel condicione indebiti his

q) **A. a LEYSER Med. ad Pand.** *Pign. immin. creditor. conc. tradit.*
sp. 486. m. 3. §. 28.

r) **V. HUBERVS Pracl. ad Digest.** t) **G.E.OELZE Diff. de Cred. vigil.**
tit. quae in fraud. cred. §. 1. §. 32.
s) **F. V. PESTELIVS Diff. de Iur.** u) **L. fin. §. 6. G. de iur. delib.**

his lucra extorquere possent. Tandem loquitur recitatis verbis de specie, si heres, cum beneficio inventarii hereditatem accipiens, res oppignoratas posteriori creditori in solutum dederat, ac paulo post reprehendebatur, hereditatem imparem esse non-minibus extinguedendis. Eiusce generis dationem in solutum, quatenus vergit in damnum creditorum, qui ex anterioribus hypothecis veniunt, ratam non habet Imperator, ac hypothecariis creditoribus indulget potius conditionem ex lege. Heres enim, qui cum beneficio inventarii nancisebatur hereditatem, eam acquirere videtur sub conditione, si scilicet sufficiens videtur, ne alias, dum lucrum facere sperat, in damnum incidat. Qua conditione deficiente, quae adiens hereditatem qua heres in praeiudicium creditorum gessit, pro nullis iure reputantur. Ex hisce vero patet, ius singulare, in heredis commodum, a IVSTINIANO in illustrata constitutione, introductum esse. Quod vero ad exemplum trahi non debet.

XXII.

A regula, paragrapho nona stabilita, excipitur etiam solutio per gratificationem facia imminentि concursu.

At quid quaequo dicendum erit, quando, imminenti con-cursu, unus alterue creditor literalis, tametsi ipsius ius crediti nullo iure singulari gaudeat, sortem suam recepit, caeteri, vero creditores litterales aequi vigilantes non nanciscuntur nummos mutuo datos? Num gratificatio fraudatoris, caeteris creditoribus litteralibus adeo obesse poterit, vt ipsis nil nisi plorare relictum sit? An vero restitui debet, quod ille ex intempe-stiu gratificatione erat consequutus? Non quidem me fugit, suis inter eruditos, qui, fas non esse, adfirmabant w), de suis rebus gratificari, nisi in quantum iura gratificationem ratam habent ac sibi acceptam. At horum doctrinae ea propter nullus subscribo, quia mihi non satisfaciunt rationes pro oranda causa ab ipsis adductae. Quare potius egomet regulam ita pono, cuius

w) Euolucas ea propter ANDR. TI- qu. XV. op. III. n. 23. tom. I. oper. RAQVELLII Tr. de Iure Primog. p. 355.

uis fas esse, de rebus suis gratificari, nisi in quantum gratificatio est prohibita. Prohibent vero leges solutionem debiti, animo gratificandi suscipiendam imminentि concursu, eandemque rescindi volunt iubentque. Ne hoc, antiquis iurium consultis dissentientibus, dixisse videar: antestor **SCAEVOLAM x.** Longiora sunt casus ab ipso decisi verba, quam ut huius libelli paginae caperent ea integra. Summa eorum, credas mihi, eoredit. Pupillus quidam, heres patris obaerati, restituerat numeros, ab hoc mutuo acceptos. Postea idem is cedebat bona patris, eademque veniebant. Quaerebatur, an creditor retineat numeros creditos restitutos? an vero reliqui creditores aequae vigilantes, quando suum e bonis cessis consequi nequeunt, reuocare possint id, quod iste accepit, ne melioris conditionis esset, ac ipsi, quibus negligentia in exigendo debito imputari nequit? Respondebat **SCAEVOLA** hunc in modum.

Si per gratificationem acceperit; reuocandum solutum ad eandem portionem, quam caeteri credidores fuerint laturi. Sin vero iuste exegerit; reliqui vero neglexerint, exactiōnem, et interea res debitoris deterior facta, id, quod acceperit is, reuocari nullo modo posse; quoniam alii credidores suae negligentiæ expensum ferre debeant.

En quaestionem a **SCAEVOLA** decisam, eandemque curate conuenientem cum nostra decisione! At quid audio? Clamas, ego puer in scholis a ludimistris didici, a particuli ad vniuersale non valere conclusionem. Quae logica, quae ars ratiocinandi hoc tibi suggestit, ut, quod **SCAEVOLA** de pupillo tradebat, idem quoque de quauis solutione per gratificationem facta intelligendum esse, perhibeas? At, ut ex animi sententia loquar, nullus pertimesco dubium allatum. Si enim perpendo rationem, qua innititur decisio obmorae quaestioni: dubio caret, quin **SCAEVOLA**, si modo interrogatus fuisset, idem responsum, quod de pupillo, haerede patris obaerati, ante excitatum concursum soluente tulit, tulisset etiam de ipso debitore, cuius personam pupillus repraesentabat. Si autem hoc verum est, prout omnino verum est; non video, quare non cum iurium consultis, doctrina non vulgari conspicuis, adfirmarem, menti **SCAEVOLAE** omnino conformem esse regulam,

x) L. 24. D. quae in fraud. cred.

gulam, quae vult, vt nummi, vni creditorum per gratificationem restituti, cum reliquis creditoribus aequo vigilantibus communicandi sint y). At cur adpono hoc, quum tamen meum fuissest, omnium primo explicare, quid **SCAEVOLA** per gratificationem intellexerit? Ex aliis legum romanarum fragmentis z), quibus vocula gratificatione occurrit, constat, gratificationem denotare actum, quem suscipio in alterius fauorem Quare etiam **SCAEVOLA**, dum reuocandum esse respondebat, quod per gratificationem obtinuerat aliquis, sub iure non gratificandi intelligit facultatem lege restrictam vni alterie fauendi. Et mens, et verba recitati responsi hanc interpretationem suadent voluntque, vt reiciamus opinionem eruditorum, qui, tunc demum de fraudatore, multis nominibus oppresso, adfirmari posse, contendunt a), eum gratificatum esse, si plures creditores simul solutionem vrgebant, ac si hic vni tantum ex his soluebat. Quis namque negauerit, et alios excogitari posse modos, quibus iure optimo illicita nuncupatur fraudatoris gratificatione, in restitutione sortis debitae conspicua? Ita enim, ecquis in dubium vocet, deprehendi illegitimae gratificationis speciem, quando quis, de bonorum cessione proxime insequentura cogitans, vni alterie creditorum soluit ante tempus restituendae sorti praefixum, vt hac ratione in accipientem redundet emolumen, reliqui autem spe fraudentur, sortem creditam recuperandi b)? Ita etiam, ecquis non videat, adesse illicitam gratificationem.

y) Ita sentiunt **WOLFF G. A. D. SCHOEPFPIVS Conf. Tubingenf. tom. VIII. conf. LXII. s. STRYCKIVS Vsu Mod. tit. quae in fr. cred. §. 2. DAN. GEORG. STRUBEN Rechtliche Bedenken tom. I. n. 105.**

z) L. 4. D. ad SCtum Trebell., L. 27. §. 14. D. ad leg. Iul. de adult., L. vlt. D. de relig.

a) Ita dicunt **HARTM. PISTORIS l. c. libr. IV. qu. 20. n. 3. et CHR. FRID. KNEVELIUS Diff. de Act. Paul. §. 14.**

b) Hinc **VLPIANVS**, commodum representationis actione in factum reuocari posse, adfirmabat L. 10. §. 12. D. quae in fraud. credit. Denotat autem vox representare, ac ante diem aliquid praestare et soluere, aut prius soluere, quam aliquid debeatur. Ita representare fideicommissum dicitur, quod ante diem soluitur, L. 36. §. 1. D. de cond. et demonstr. Iungas L. 1. §. 2. D. de dote prael. §. 14. I. de legat. Ita etiam **VLPIANVS** L. 17. §. 2. quae in fraud. cred.

tificationem, quando debitore obaeato suadente, quidam e creditoribus litteralibus in fraudem creditorum, priuatas hypothecas habentium, aut publicam hypothecam sibi constitui curat, aut quando illi res maioris pretii tanquam pignus traditur, quam reliqui instarent, vrgerentque restitutionem sortis creditae c)? Ita etiam, ecquis neget, illicitam gratificationem deprehendi, quando vigilans creditor post multas preces, minis comitatas, et vel tandem eo adigit debitorem bonis mox labenter, vt hic, in vniuerso patrimonio, hypothecam generalem propediem illi constitutum iri promittat; siue dein debitor obaeatus, promissi immemor, antea, quam dies de constituenta hypotheca generali veniebat, remotis arbitris, aut cum thori socia, aut ad fine, adeat domum iudicis, curetque huic suo adfini hypothecam generalem constitui in omnibus bonis, index vero illicet, omissa caussae cognitione, suam interponat auctoritatem, quod forsitan, simulac mulieris adstantis formam perbellem adspicerat, ipsum vetitas

trudit in artes

*Aliger ille deus, teclumque cupidine pectus
Fascinat*

Sed quid? Poteritne, ita interrogas, poteritne debitor obaeatus criminis prohibitae gratificationis et tunc incusari, si quidam creditor litteralis, non quidem ad iudicis tribunal accedens, intra priuatas tamen parietes vrget solutionem; alias vero eodem tempore, pro forte sua consequenda, coram iudice experitur, ac post emissum mandatum de nomine soluendo consequitur sortem creditam, qua autem restitutione insequuta reliqui creditores perdunt numimos creditos, qui extra iudicium vrgebant solutionem. Quid sodes reponis? Criminis prohibitae gratificationis, vt ego quidem arbitror, incusari non poterit debitor, quando creditori restituit sortem, cuius restitutionem iniungebat sententia lata. Nam impune soluit, quem quasi inuitum iudex soluere coegit d). Quid? quod creditor, sortis restitutionem

ered. dicebat, praesentem dotem dare, id est, ante diem, vtpote dos olin annua, bima, triuna die vt plurimum reddebaratur.

c) Vid. I.O.H. a SANDE. *Decisione Fris. libr. III. tit. XIII. def. 1. et I.O.H. & I.A.C. WISSENBACHII Diff. ad Dig. XXXI. §. 19.
d) L. 6. §. 6. D. quae in fraud. cred.*

tionem in iudicio non vrgens, minus vigilabat, ac is, qui coram tribunali debitorem conueniebat actione sortis creditae obtinendae caussa. Quum itaque ratione creditoris, qui illum sollicitudine iudiciali precibusque superabat, omnino pro negligente habendus sit: sua negligenitiae, secundum *SCAEVOLAM*, ferat expensum, ut reuocari nulla ratione possit id, quod alter obtinuit. At quando fraudatoris factum, collusione quadam interueniente, adfuisse, probari potest: dubio caret, quin fors credita, ex iudicis mandato restituta, tunc pro rata reperti queat e). Quae autem est ratio, quare *SCAEVOLA* vult, ut repeti possint numimi per gratificationem eo tempore restituti, quo debitoris bona in eo essent, ut veniant, id est, quo debitor obaeratus tanta egestate premebatur, ut et illius res vacillare inciperent, et creditor, id sciens, animo suo praeciperet, mox creditores reliquos bonorum possessionem postulaturos. Quae- runt eam ut plurimum in eo, quod dolus conspi ciatur non minus in debitore gratificante, quam in creditore sortem recipiente. Non nego, saepius rem ita se habere. At quandoque nec in debitorem, restituentem nummos creditos, nec in creditorem, solutum nomen recipientem, cadit doli commissi crimen. Fingas, quid enim fingere impedit, fingas, plures uno eodemque tempore vrgere solutionem, et alterum alterius vigilantiam ignorare. An creditorem, cui alterius ignorantia erat incognita, cuique fors a debitore, imminentि concursu, restituebatur, doli commissi accusares? Nullus crediderim. Fingas, debitorem ingenii simplicis, eundemque iurium inexpertem, restituere nummos debitos illi e creditoribus simul instantibus, qui in ipsum multa contulerat beneficia. Num quaeso in talem debitorem soluentem, diceres, cadere dolum, fraudemque commissam? Non putarem. Quare sola vigilantia, ut ego quidem arbitror, impedit gratificationem, tametsi nullus currat dolus. Nimirum qui simul vrgbant solutionem, hi sua vigilantia nanciscabantur ius aequale, quod ipsis debtor obae- ratus nulla ratione auferre potest.

e) *Vid. DAV. MEVII Disc. Levam.*
Inop. Debit. cap. VI. n. 127. et 10 H.

FRID. RHETII Diff. de Non Gra-
tif. part. I. cap. II. §. 2.

XXIII.

Decepti creditores litterales reuocant nummos per gratificationem solutos, excusso demum debitore obaerato.

Quod dum expeditum est, disquisuisse iam, e re nostra erit, an creditores defraudati ilicet impugnare queant restitutio-
nem fortis, simulac ad ipsorum aures peruenit, solutionem, im-
minent concursu, a debitore gratificante in ipsorum fraudem
fuisse suscep tam? Fieri quandoque, scimus, vt, tametsi debitor,
perniciem creditoribus machinans, bona abliguriat, vt, inquam,
nihilominus auxilio fortunae, indignis homuncionibus non ra-
renter fauentis, ea temporis periodo abundet, qua creditoribus
instantibus soluere tenetur. Quare verendum est, vt ex-
ceptione deficientis interesse repellantur, quando animo gestiunt,
ilicet impugnandi solutionem per gratificationem, imminenti
concursum iudicio, factam. Aut fallor, aut in eo latet ratio,
cur iura velint iubeantque f), vt demum, bonis debitoris excusis,
vfitatis actionibus ea, quae in fraudem alienata probabuntur, re-
uocentur. Ergo si vnis duntaxar creditor litteralis timet, iusto
citus adpropinquare temporis periodum, qua ipsi occlamandum sit,

Heu mibi!

Etiam de sorte nunc venio in dubium miser;

atque si idem is ob sortem, alii ex gratificatione restitutam, non modo querelas emittit, sed etiam eo nomine cum fraudatore expostulare vult: is viam actionis instituenda sternere debet, excusso fraudatoris patrimonio, bonorumque illius aestimatione insequuta. Si patrimonium, extinguendo aeri alieno impar, conspicitur: recte sese conferet ad agendum; vtpote in damno vitando, alter autem in lucro captando versatur, qui nummos, imminenti concursu, per gratificationem solutos accepit. Quibus vero neglectis futurum esse, iurarem, vt creditores, nimis festinanter ad actiones reuocatorias configuentes, non modo exceptione deficientis interesse repellantur, sed vt etiam ipsorum libellos Flavius Germanicus reiiceret, annexenda sententiae ea propter ferendae formula consueta, *angebrachter Maßen*, seu noch zur Zeit.

XXIV.

f) L. 1. C. de revocand. bis, quae in fraud. cred.

XXIV.

Agitur de actione Pauliana, qua reuocatur id, quod imminentis concursu per gratificationem est solutum.

Si, dolum in debitore nummos, imminenti concursu per gratificationem restituente, adfuisse, constat: reliqui creditores litterales vti poterunt actione Pauliana g). Quum saepius huius actionis iniecerimus mentionem: e re nostra esse, putamus, edissere paulo curatius de huius actionis indole. Venit vero illius nominis actione praetoria et personalis. Quo magis audacter haec dicuntur: eo magis, praeceunte THEOPHILO h), DAN. CLASENIVM i), REINH. BACHOVIVM k), ANT. PERETZIVM l), GEORG. FRANTZKIVM m), AD. LAVTERBACHIVM n), IOH. SCHILTERVM o), IOH. STRAVCHIVM p), ERN. SCHROEDTERVM q), aliosque contra dicentes inuenimus, qui, nostram actionem in rem esse, arbitrantur. At non quid hic, sed quam vere, quaeritur. Certe et naturam actionis in rem, et iuris auctoritatem illis refragari, constat. Quod vt eo melius intelligas, adduxisse conductit, quae sunt propria actionum in rem, quae in personam. Actionis in rem esse, fatentur omnes,

I 3

VI

g) Sunt, qui autumnant, hanc actionem rectius vocari actionem Paulinam. At male. Confirmant nostram appellationem et THEOPHILVS l.c. tit. de act. §. 6., et exempliar pandectarum florentinum in L. 8. §. 4. D. de usur. et fruct. Conf. CAR. FERD. HOMMELII Paling. tom. II. p. 129. Et iurium consultos, cortici regularum grammaticar. non semper inhaerentes, hanc actionem nominasse actionem Paulianam, verisimile est, et vel exinde, quod et caeterae actiones praetoriae eandem habent terminacionem, prout id docet actio Pauliana, Seruiana, Calviana.

h) THEOPHILVS l.c.

- i) D. CLASENIUS Comm. ad tit. de act. §. 6.
- k) R. BACHOVIVS Tr. de act. disp. III. §. 39.
- l) A. PERETZIVS Comm. in C. tit. quae in fraud. cred. n. 2.
- m) G. FRANTZKIVS Exerc. Iurid. XIII. qu. IV.
- n) A. LAVTERBACHIVS Coll. Th. Praet. tit. quae in fraud. cred. §. 5.
- o) I. SCHILTERVS Exerc. XLVI. §. 5. Ig.
- p) I. STRAVCHIVS Diff. Iustini. XXII. tb. 3.
- q) E. F. SCROEDTERVS Diff. de act. Pauliana.

vt sequantur rei possessores, adeo vt, si quis possideat rem, tenetur actione in rem, licet nec cum actore contraxerit, nec deliquerit. Non vero tenetur, qui rem non possidet r). Vtrumque secus se habet in actione, de qua mihi est sermo. Nam non alias, nisi iste rerum, creditores fraudandi animo alienatarum, possessor conueniri actione Pauliana poterit, qui aut fraudis ab alienante commissae conscius fuit s), aut qui rem e titulo, nil nisi lucrum spirante, obtinuit t). Hisce iungimus illos, qui nec possident, nec dolo possidere desierunt. Constat enim, conueniri hac actione rei conuenti heredes qua tales, non qua possessores u). Id ipsum vero abhorret ab indole actionum in rem. Non enim dantur in possessoris heredes, quando penes illos non est rerum possessio, de quibus lis agitatur w). Nescio, an hoc addam, quod, qui vtuntur actionibus ad rem, aut vindicant rem, aut intendunt, rem suam esse? Tantum vero abest, vt, qui configiunt ad Paulianam actionem, creditores simile petitum proferant, vt potius tantummodo dicant, res in fraudatoris patrimonio mansisse, cuius possessionem excitato concursus iudicio nanciscebantur. Et cur quaeſo pro oranda nostra cauſa plures rationes anxie congeram? Ipſe namque PAVLVS, at quantus iureconsultus! diserte nostram actionem numerat inter actiones in personam x) Scilicet quum initio dixisset, videndum esse, quando fructus veniant in actionibus in personam: variis exemplis eius generis vtens, inter caeteras actiones in personam recensēbat quoque actionem Paulianam, et ita quidem recensēbat, vt eam iungeret actioni Fauianae, quam in personam esse, dubio caret y). At interrogas, si actio Pauliana est in personam, num ergo descendit ex obligatione? Omnino. Vnde nam vero obligatio illius, qui nummos, per gratificationem imminentis concursu restitutos, possidet, vnde nam obligatio illius descendit, vt dicere queas, eum obligatum esse, vt tales nummos restituat reliquis creditoribus, tametsi nullum inter ipsum achos intercederet negotium? E maleficio descendit talis obligatio, puta,

fi

r) L. 25 pr. D. de obligat. et act. L. 36. u) L. 42. D. de rei vind.

pr. D. de rei vindic., L. 2. C. si unus x) L. 38. §. 4. D. de usur. et fruct.
ex plur. hered.

s) L. 1 pr. D. quae in fraud. cred. y) L. 1. §. 26 D. si quid in fraud.

t) L. 6. §. u. D. tit. eod.

si possessor sortis, per gratificationem restituta, particeps erat doli a debitore soluente commissi. Quid? quod, hanc obligationem nihilominus querendam esse in maleficio, putarem, licet dulos in talem possessorem non cadat. Adeo enim delicti species, si, posteaquam vigilans creditor comperiebat, sortis restitutionem, animo gratificandi factam, tendere in fraudem reliquorum creditorum, si, inquam, nihilominus fatagit, numeros imminentis concursu per gratificationem solutos lucri causa retinere z).

Ex edito Praetoris elucet, Paulianam actionem competere creditoribus deceptis, puta, quando ab ipsis, tempore suscepitae aut alienationis, aut solutionis per gratificationem factae, vel bona iam possessa sunt, vel missione in possessionem bonorum nondum insequa, creditoribus pluribus solutionem desiderantibus vni creditorum sors per gratificationem est soluta, atque sic caeteris aequo vigilantibus satisfieri ex debitoris patrimonio nequit. Quare nec consilium fraudatoris, nec possessoris dolus sufficiunt, ni euentus quoque respondeat a). Alterutro deficiente deficit Pauliana actio. Hinc VLPIANVS, ita demum revocatur, insit b), quod fraudandorum creditorum causa factum est, si euentum fraudabeat. Quid? quod fraudis interpretatio, teste PAPINIANO c), semper in iure ciuili non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque consideratur.

XXV.

Meditatio eiusdem doctrinae vltior.

De genere actionis Pauliana, vt et de auctore, iam satis actum est. Videamus iam reum. Instruunt nostram per traetionem haec editi verba d), cum eo, qui fraudem non ignorauerit. Ni nimis mihi adsentiri videor, Praetor creditores istos, qui acceperant rem titulo oneroso, demum coerceri voluit, quando, licet ipsos non lateret, debitorem obaeratum aut soluendo non esse, aut saltim suscipienda tali alienatione, aut forte per gratifica-

z) Arg. L 14. §.3. D. quod metuscaus. c) L. 79. D. de reg. iur.

a) L. 15. D. quae in fraud. cred. d) L. i. pr. D. quae in fraud. cred.

b) L. 10. §. 1. eod. sit.

ficationem vni alteriue amico restituenda, non soluendo futurum iri, nihilominus accipiebant, quod in fraudem creditorum dabatur. In libello igitur vt eo dirigat, opus est, actor actionis fundamentum, neganteque reo, is fuscipiat probationem fraudis ab hoc commissae e). Cadit caeteroquin fraus etiam in illos, qui sortem, imminentि concursu restitutam per gratificationem, receperunt a fraudatore. Debitor enim, dum amicum negligenter praefert creditoribus vigilantibus, mentein declarat a fraudem non alienam, atque sic tollit prae sumptionem doli exclusi uam, quae alias militat pro soluente. Creditor e contra, qui, non modo plures alios creditores adesse, scit, sed insuper etiam intelligit, fraudatorem, quando imminentи concursu restituit, quod debet, soluendo futurum non iri, se omni no participem facit doli, a debitore gratificante commissi, quam restituisset sortem animo gratificandi. Quid vero dicendum erit, quando quis certam quantitatem recipit, non nisi e fraudatoris liberalitate. Num, et hunc coerceri, voluit Praetor? Considerasse, opinor, utrum creditori, cui ex liberalitate fraudatoris obuenerat certa pecu-

e) De modo probandi dolum fraudemque euoluas, si placet, FR. CONNANI *Comm. Iur. Civ. l. V. cap. fin. n. 3.*, FRANC. MANTICAЕ *Lucubr. de Tac. et Ambig. Conuent. libr. XIII. tit. 38.* IAC. MENOCHII *Comm. de Praesumt. et Conicet. l. III. praef. 124.* Adesse caeteroquin, me quidem non fugit, GOTTL. GERH. TITIVM *in Iure Priv. libr. IX. cap. IX. §. 9.* exiguum modosum tribuere actioni Paulianae, imo CAR. GOTTL. KNORRIVM *Diss. de Vſu Doctr. iur. rom. de Praet. et Iud. Pedan. c. II. §. 17.* vsum nostrae actionis ea propter in dubium vocare, quod a reo, res etitulo oneroso traditas accipiente, desideretur, vt fraudis dolue commissi sit particeps. In dolosum vero emtorem, tantum

abeffet, vt docente I. B. CARPOZOVI in *Iurispr. Forens. Rom. Sax. p. i. conf. XVIII. def. 18.* dominium transferatur, vt potius talis alienatio non fecus, ac si post excitatum concursum facta fuisset, nulla sit dicenda ob l. i. D. quae in fraud. cred. L. fin. C. de pign. praetor. At parcent mihi, optio, manes b. KNORRII, si ipsum abuti CARPOZOVII auctoritate, dixerim, Agnouit potius Paulian, act vsum ipse CARPOZOVIVS l. c. p. II. c. III. def. XX. Agnouerunt eundem illum QVIR. SCHACHERVS Coll. Praet. L. XLII. tit. VIII., HENR. HAMMELIVS *Comm. ad Inst. tit. de act. cap. XIX.* FRANC. VAL. de HAVER *Memor. Act. et Interd. part. I. p. 167.* Agnouerunt eundem et alii,

pecuniae quantitas, innotuerit aes alienum? an vero ignorauerit; tale adfuisse tempore donationis factae?

Si, magnum aes alienum a debitore donante conflatum fuisse, scit, et nihilominus, lucri cupiditate accensus, quantitatem donatam accipiens, creditoribus iacturam inferre conatur: insignis malitiae incuso donatarium. Quare aduersus ipsum actio Pauliana mouenda erit, et quantitas, imminenti concursu donata, ab ipso eodem iure reuocabitur, quo praetor olim damnabat creditores, qui sortem, animo gratificandi restitutam, imminenti concursu receperant. Nec aliud, pro sustinenda donatione facta apud acta, pronuntiandum erit. Licer enim actus huiusmodi in iudicio celebratus animum deliberatum ac consultum prodat, et ob publicam auctoritatem, actisque factam insinuationem, domesticarum fraudum suspicio evitetur f). attamen nec animi vel maxime deliberati, qui in necem creditorum talis esse potest, indicium, nec iudicialis testificatio iuuare possunt. Sicuti enim iudex sat certo explorare, aut praeuidere nequit fraudem, qua donatio suscipitur ad fallenidos creditores: ita etiam, qui alias subinde judicialis confirmationis effectus esse solet, doli suscipio non tollitur. Ac quum euentus fraudationis sufficiat, licet desit consilium defraudandi: non video, quid pro donationibus judicialiter susceptis militet, maioremue, suborto concursus iudicio, his, quam alii, alias validis, donationibus robur praestare possit. Idem iudicium ferendum erit de donatione mortis caussa, quamvis illicet accederet traditio. Fingas, maritum, lectulo adfixum, quingentos aureos vxori in mortis euentum donare, eosque tradere, ac, quum in eo esset, ut foro cedere cogeretur, debitum naturae soluere, hacque ratione integrum fidem existimationemque sepulcro inferre, et paulo post, quum corpus exsangue a terrae quibusdam filiis terrae mandatum esset, adparere, maritum soluendo non esse, et concursum mox iri excitatum. Si causarum orator adfirmaret, viduam, praeter illata sua, memoratos aureos in mortis euentum donatos ea propter retinere posse, quod dominium in viduam non modo traditum esset a marito, sed quod

f) L. 27. C. de donat.

quod insuper donatio per mortem confirmata g): tantum tamen abest, ut is audiretur, ut potius aduersus viduam summo iure actionem Paulianam mouerent creditores, reuocaturi nummos in mortis euentum donatos. Nam obstat viduae antiquius creditorum ius in re, ob quod nummi, iam litigiosi, quamvis traditio insequuta sit, non traditi esse, sed potius in bonis debitoris, creditoribus obligatis, mansisse finguntur h). Nec iuuabit viduam, quod fraudis expers fuerit maritus, quem in mortis euentum memoratos nummos tradiderit. Nam hic non respicitur ad consilium defraudandi, sed euentus potius spectatur.

Longe mitius e contra cum illis agendum erit, qui, dum ignorabant, futurum esse, ut debitor obaeratus iusto citius exuatur bonis, non respebant lucrum ipsis oblatum. De his enim valet, quod asserebat VLPIANVS dicens i), in hos tamen qui ignorantes ab eo, qui soluendo non sit, liberalitatem acceperunt, batenus actio erit, quatenus locupletiores facti sunt, non ultra. Quae quum ita sint: sequitur, ut, actione Pauliana aduersus huiusmodi donatarium mota, omnium primo inuestigari debeat, an is euaserit locupletior donis imminentis concurso acceptis? an vero hoc de ipso nequeat? Ergo restituenda veniet donata quantitas, quatenus tempore actionis Pauliana institutae vel vere vel ficte existit, nec tamen usucapta est. Licer enim ea temporis periodo, qua actio Pauliana monetur aduersus tam donatarium, pecunia donata non amplius extet: in lucro tamen ponendum est, quando illam vertebat in suos usus. Euanscer vero rigor Pauliana actionis, quando, circa consilium defraudandi creditores, deterioris conditionis debitoris ignarus, prius donatas res aut alea perdebat, aut easdem in alias titulo lucrativo transferebat, aut usibus voluptuariis impendebat, quam creditores decepti ab actione Pauliana quae sive sunt auxiliu. Dici enim nequit, donatarium tam euafisse ditionem.

XXVI.

g) L. fin. C. de mort. cauf. don. §. 1. RADI Dissert. de Donat. inter l. de donat., l. 64. D. de furt.

h) Par. 6. I. de act. L. 39. §. 1. D. de inualidis §. 8.

V. S. Iungas FR. CAR. CON. i) L. 6. §. 2. D. quae in fraud. cred.

XXVI.

Eiusdem actionis vltior explanatio.

Id quod, nostra in specie, actione Pauliana petimus, facile noscere poteris e doctrina hucusque tradita. Petunt creditores, laesi solutione per gratificationem suscepta, vt reus restituat numeros imminentis concursu restitutos. Quid vero? quando plures adsunt creditores chirographarii simplices, in quorum perniciem tendit restitutio sortis per gratificationem factae, et unus tantummodo, reliquis vigilantibus, vtitur actione Pauliana; num queso actor petere poterit, vt integra quantitas per gratificationem soluta restituatur? an vero contentus is esse debet restitutae quantitatis parte, aut etiam rata cuiusque debiti, pro qua creditores simplices in tributum ire solent. Qui audiisti, voculam restituere tam amplum significatum habere, vt complectatur etiam fructus restituendos k): idem is dices, integrum sortem, animo gratificandi, imminentis concursu restitutam, in commune conferendam esse. At male ita iudicas. Docuerunt enim IO BAPT. COSTA l), FR. SALGADO de SAMOZA m), CH. FRID. KNEVSELIVS n) aliique, actione Pauliana reuocari duntaxat, quantum portioni residuae creditorum vigilantium deest. Cui doctrinae lubens subscribo. Conuenit enim cum analogia legum. Scimus enim, concursus iudicio excitato, inter creditores chirographarios simplices distribui bona fraudatoris pro rata debiti, quod cuique deberetur o). Et cur anxie, pro oranda nostra causâ, congeramus plures rationes? Ipse enim IULIANVS scribebat p), vt, quando, duobus instantibus, vni quis gratificatus soluebat, aequum esset, aut eandem portionem alteri quaeri, aut communicandum, quod accepit alter. Iubebat insuper diuus IVSTINIANVS q), vt missio in honorum possessionem ad mensuram debiti declarati permetteretur. Sin vero

K 2

debi-

k) L.38. §. 4. D. de usur.

l) I. B. COSTA Tr. de Quota et Rata qu. 74.

m) FR. SALGADO de SAMOZA l.c. part. II. cap. IV. v. 154.

n) C. F. KNEVSELIVS Dissertat.

cit. §. 14.

o) L. 6. C. de bon. auct. iud. poss.

p) L. 6. §. 2. D. de rebus auct. iud. poss.

q) Nov. LIII. cap. IV. §. 1. Aut. et qui C. de bon. auct. iud. poss.

debitor, imminentि concursu, restituebat sortem creditorи, cui leges, ratione creditи nullum ius singulare tribuebant: creditores caeteros, iure singulari ornatos, integram sortem restitutam repetere posse, communis vox est iureconsultorum r). Quamvis enim fraudem committere non videatur is, qui suum recepit s): id tamen non aliter intelligendam, quam saluo iure tertii. Prodesse quis sibi non prohibetur, dummodo nec alii nocet t), nec quicquam detrahit iustioribus aliorum precibus u). Quod igitur quis recipit cum iniuria et damno iustius petentium: id, alteri auferri, non vero suum recipi, censetur, meritoque obnoxium manet repetitioni w). Incidit vltior quaestio, an numimi, imminentи concursu per gratificationem restituti, restituendi sint cum usuris? Ego non adducor, vt credam, quaestionem hanc adfirmandam esse. Reus enim, actione Pauliana conuentus, usque ad motam litem iusto titulo tenebat sortem, non tam ab actore, quam a debitor restitutam. Accedit, quod de rebus fraudulenter alienatis iam olim VENYLEIVS, scripsiterit x), fructus medio tempore perceptos in restitutionem non venire. Decisionis ratio in eo latere videtur. Nimirum debitor obaeratus gaudebat iure fructus, tempore intermedio perceptos, consumendi, et ea propter satis esse putabat VENYLEIVS, quando creditores decepti recuperassent rem, prout alienata fuerat a fraudatore. Ob eandem rationem vigilans creditor, iam conueniendus, immunis erit ab usuris praestandis. Nescio, an pro oranda causa addam, conueniri actione Pauliana personam, non rem, quae alias tantummodo venit cum accessionibus y). Caeterum, quantitate in fraudem creditorum donata, si donatarius aut pecuniam foenori exponebat, aut si obligatio, a fraudatore in perniciem creditorum vigilantium remissi, usuras antea quoque comprehendebat; ab actione Pauliana excludi usuras, par non est. Atque de hac specie posteriori VLPIANVM sensisse, arbitror, dum, medietem-

r) Euolias, vt alios taceant, IOH. t) L. i. §. u. D. de aqua et aqua pluvia.
FABER Comm. ad Inst. tit. de act. arc.

§. 6. n. 33 MATTH. BRVNUS Comm. u) L. 31. §. i. D. depos.
de Cess. Bouv. qu. 2. n. 7, HARTM. w) Arg. L. 15. D. de cond. indeb.
PISTORIS l. c. qu. 20. n. 11. x) L. vlt. §. 4. D. quae in fraud.
credit.

s) L. 6. §. 6. D. quae in fraud. cred. y) L. 19. D. de iure fisci.

*temporis, inquietabat z), commodum, quod quis consequeretur libe-
ratione non facta, praestandum esse.*

XXVII.

*Ab actione Pauliana immunem esse, docetur, hereditatem aut lu-
crum, imminenti concursus iudicio, delatum quidem, sed
repudiatum a debitore.*

Quod cupio fieri post mea fata: hoc supremo elogio palam facio. Ut adsit successor, qui morum meorum imaginem referat ad posteros, heres ex aße esto Apicius, cui sua sunt Numinæ, Saturitas, Iocus, Epulæ, Ostentatio, Otium, Temulentia, Penus, Luxus, Festivitas. Sinito autem heres meus, filiolum et vulgi uaga Venere natum vicini mei, quem sibilis excipiunt, quod ipsius ingenii nullus, calami omnis sit labor, sumere integrum bibliothecam, hac tamen lege, ut libelli non ligati inserviant infarcientur sclopetorum tubis, voluminaque reliqua ornent tantummodo parietes, nec legatarius ea usurpet, voluat, reuoluat. Idem is heres damnas esto, dare Messalinae, cui partem imperii domestici iam pridem vendidi, suppellectilem, patinas, vestes meas lepide lacunatas, decore strigatas, subtiliter intextas. Si quae victima Diana venaticis, si quae agrestia munera, si quid exquisitissimorum ferculorum, quae in gulæ gratiam aliunde arcesseri curaueram, post meum obitum aderunt; si qui pisciculi supererunt in piscina; si quid suminis in carnario adseruabitur; do lego, hos cibos aequis partibus herciscundos, coquis, seruisque meis, ut stomachum latrantem placent. Si qui amici multibibi sarcophagum meum sequuntur, et, ore in luctum et amaritudinem composito, singultient naenia, effundentque lacrimas sponte cadentes: accipiant a meo herede in XXX dies duo modiales calices nectaris Rhenani, in mea cella asseruati, hac tamen lege, ut uno spiritu illos ingurgitent, et me obliuiscantur, ac si ex Lethaeo amne bibissent. Hac, aut alia ratione supremam voluntatem, praesentibus scriba iurato, septem amicis, tantæ rei testibus, dixisse Trebatium si singas; si que his cogitationibus iungas, Apicum, heredem ex aße institutum, quum,

K 3

cre-

z) L. 10. §. 22. D. quae in strand, cred.



creditoribus solutionem urgentibus, se propediem eo adactum iri intelligeret, ut bonis cedat, repudiare hereditatem ipsi delatam: incidit quaestio, an Apicius noster, fraudis consilio, hereditatem imminentि concursus iudicio delatam, aliae lucra, quae iure ipsi competente acquirere poterat, repudiare possit? an vero credito restitucionem in integrum petere, et repudiata hereditatem, mota actione Pauliana, reuocare queant eadem ratione, qua reuocarent res, si Apicius, animo decipendi ipsos, has imminentि concursus iudicio alienasset. In sumum, equis negaret, abire fragmenta iuris ciuilis non pauca, quando creditoribus, de quibus fermo, indulgemus ius, actione Pauliana impugnandi renunciationem iuris acquirendi? Inquietabat enim **VLPIANVS** a),

qui repudiauit hereditatem, vel legitimam, vel testamentariam, non est in ea causa, ut buic Edicto locum faciat: noluit enim acquirere, non suum patrimonium diminuit.

Nemo dubitabit, **VLPIANVM** ita differentem interpretari editum, quod Praetor in albo prosuerat in gratiam creditorum, qui laesi erant per alienationem fraudulosam, imminentि concursus iudicio suscepit. Non deesse, scio, qui, contra Praetoris mentem, haec ab **VLPIANO** prolatā esse, dicunt, ac proin in iureconsultum non modo inuehuntur, sed illum etiam incusant iniuritatis, quae aequitatem, a Praetore in actione Pauliana adhibitam, obscurat. Haec verba editi b), quae fraudationis causa gesta erunt, cum eo qui fraudem non ignorauerit, de his curatori bonorum, vel ei cui de ea re actionem dare oportebit, intra annum, quo experiundi potestas fuerit, actionem dabo: idque etiam aduersus ipsum, qui fraudem fecit, seruabo adeo generalia sunt, ut ad quodvis negotium, in perniciem creditorum suscepit, applicare queas. Agnouerat hoc et vel ipse **VLPIANVS** dicens c), verba, quae fraudationis causa gesta erunt, generalia esse, et continere in se omnem omnino in fraudem factam vel alienationem, vel quemcumque contractum. Si autem hoc verum est: sequi inde, putas, vim et potestatem verborum infrinxisse **VLPIANVM**, dum hereditatis, quae vel lege, vel testamento deferebatur, renun-

- a) L. 6. §. 2. D. quae in fraud. cred. b) L. 1. pr. D. tit. cod.
c) L. 1. §. 2. D. ib.

nunciationem admittebat, nec dicebat, actione Pauliana impugnari eiusce generis omissionem friuolam. Nonne enim tali renuntiatione debitor, prout in aliata specie satagit Apicius, heres ex asse institutus, creditores defraudare, illis solutionem, quam ex delata hereditate accipere sperabant, adimere, et insigni malitia decipere cupit. Ita ratiocinabantur **i. SCHILTERVS d)**, **IAC. BRVNNEMANNVS e)**, **AVG. a LEYSER f)**, qui, sua interpretatione **VLPIANVM** offendisse iuris naturalis principia, tradunt. Videamus, an rite pronuntiauerit **VLPIANVS?** an vero malitiae opes sua interpretatione tulerit? Ex iis, quae de natura et indole actionis Paulianae protulimus, elucet, reuocari memoria actione res in fraudem creditorum alienatas, et rescindi solutionem inique factam. Ergo alienatio fraudulosa, et iniqua solutio est fundamentum Paulianae actionis. Quum vero alienatio consistat in actu, quo aut rem nostram, aut ius transferimus in alium: adparet alienationem tantummodo adesse, quando diminuimus patrimonium. Deficit vero talis diminutio, quando debitor, imminentि coricursus iudicio, acquirere omittit lucrum, quod ipsius bonis accedere potuisset. Nam sicuti non alienat, qui duntaxat omittit possessionem acquirendam g): ita etiam, **PAVLO suffragante h)**, is, qui occasione acquirendi non vtitur, non intelligitur alienare, veluti qui hereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur. Scimus insuper, creditores non defraudari, quum lucrum non acquiritur a debitore, sed tunc demum, si quid diminuitur de bonis i). Deest enim et naturalis et civilis obligatio augendi patrimonium in gratiam creditorum. Quandiu vero deficit talis obligatio: tamdiu etiam nec de iniuria illata conqueri possunt creditores, nec reuocare hereditatem non acquisitam. Quid? quod ius creditorum, quod postmissionem in bona debitoris nanciscuntur, eas res tantummodo tangit, quae ad debitoris patrimonium pertinent. Ac

licer

d) **I. SCHILTERVS Exerc. XLVI.**
§. 53.

cando, et in respondendo sequamur,
prout eam quoque defendebant iu-
rume consuli Helmstedenses.

e) **I. BRVNNEMANNVS ad L. 6.**
quae in fraud. credit.

g) **L. 119. D. de reg. iur.**

f) **A. a LEYSER Spec. CCCXCII.**
Auctor tamen est, vt, quam ego-
met tueor, sententiam et in iudi-

h) **L. 28. pr. D. de verb. sign.**

i) **L. 134. pr. D. de reg. iuri.**

licet quidem, excitato concursus iudicio, tollatur debitoris facultas disponendi de rebus: id tamen duntaxat intelligi debet de his, quae acquisitae ipsius patrimonium constituunt. Quibus praestitucis aut fallor, aut Apicius heres ex aste institutus iure repudiari hereditatem, ipsi imminentि concursus iudicio delatam, et VLPIANVS boni interpretis personam sustinet, dum dicebat, edictum pertinere ad diminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur. k).

XXVIII.

Quid iuris sit, inquiritur, si creditores litterales priuata auctoritate occupant res quasdam debitoris aut imminent, aut moto iudicio concursus creditorum

Nondum nauigamus in portu. Quid enim dicendum erit, quando unus alterue creditor litteralis propria vi et auctoritate tantum de debitoris obaerati patrimonio aerumnoso auferit, ut credita fors facile extingui possit? Num quaeſo talis creditor retinet, quod vi auferebat? an vero e contra incidit in poenam legis IVLIAE de vi publica et priuata? quibus remediis cogi poterit, ut, quas vi auferebat, res in commune conferat? an denique ius crediti amittit?

Tantum abest, ut, qui vi priuata rem e debitoris patrimonio auferebat, creditor litteralis queat eam sibi habere, ut potius in poenam legis IVLIAE incidat, quando armis vtitur recuperatus tantum e bonis, ut fors credita sic extingui queat. Idem iudicium et tunc fero, quando arma in aedes, debitoris fuga desertas, adportaret, tametsi nec gladios stringat, nec aliud quidpijam committat. Ita, exempli cauſa, in horum classem iure referendus esset creditor litteralis, imperator militum, qui foeminam debitoris, fuga salutem quaerentis, ad creditum re-

k) Haec, quam defendeo, ſententia iuxta iuris romani principia non modo vera eſt, ſed etiam calculo plurium doctorum adprobatur. Euoluaſ, ſi placet, MATTH. BERLICHII

Dec. part. I. dec. 114, 10 H. a SANDE
Dec. Frif. libr. III. tit. XIII. def. 3.,
SAM. STRYCKII de Succēſſ. ab
int. diff. IV. cap. IV. §. 41. ſq.

stituendum adacturus armatos milites in viduatas aedes collocat, atque horum ope suppellectilem, aliaue bona maioris pretii, auferri curat. Me id ea propter tueri, dubio procul affirmas, quoniam erudit animaduertebant 1), dicta lege Iulia omnibus armorum vnu, inscio Principe, fuisse interdictum. Erras, qui id credis. Tantum namque abest, vt, lege Iulia necessitatem ab armis abstinendi impositam omnibus fuisse, existimem, vt potius istos tantummodo, ex huius legis formula, coercendos esse, defendam, qui, praeter vsum venationis, itineris, nauigationis cogunt arma, id est, colligunt ea, ad machinandam aliquam vim m). Eam potius ab caussam creditor litteralis, vi armata, post debitoris fugam, res quasdam e patrimonio derelicto auferrans, plectendus erit poena legis Iuliae de vi publica, quoniam percelebris ista lex generatim in istos grauiter animaduertebat, qui ob vim adhibitam habentur inuasores rerum tam alienarum, quam suarum, quas tamen non domini possidebant.

At quid dicendum erit, quando creditor litteralis bona quaedam debitoris, fuga concursus iudicium parantis, aufert, tametsi vim armorum non adhiberet? Num et hic plectendus erit poena, quam definit lex Iulia de vi priuata? Illum non effugere, opinor, legis Iuliae poenam. Adsunt testes, qui mihi, haec affirmanti, adstipulantur. Inquiebat iam olim PAVLVS n),

creditor chirographarius, si sine iussu praesulis per vim debitoris sui pignora, cum non habuerit obligata, acceperit, in legem Iuliam de vi priuata committit. Fiduciam vero, et pignora apud se deposita, persequi et sine auctoritate iudicis vindicare non prohibetur.

Recitatis verbis de obmota quaestione, an creditores, sine iudicis iussu, per vim licet non armatam, accipientes res quasdam committant in legem Iuliam de vi priuata, suam mentem aperit PAVLVS, et tria genera creditorum admittit, curate scilicet se-
iun-

1) PAVL. MANVTIUS de Legib. THO REDI Diff. de Armor. Iur.
Rom. libr. I. et Geſtat. cap. III. §. 9.

m) Euolua, si placet, praeter L.I. n) PAVLVS Rec. sent. libr. V. tit. 26.
D. ad leg. Iul. de vi publ. IAC. GO. §. 4.

jungens a creditoribus litteralibus fiduciarios et pignoratios creditores. Haec a me proponi, stupes forsitan. Contrahis frontem. Allatis verbis non nisi duo tantum creditorum, puta, chirographariorum et pignoratitorum, genera contineri, tanto certius adfirmas, quanto maiori eruditiois adparatu IAC. CVIACIVS o), ANT. FABERVS p), IAC. GOTHOFREDVS q), IO. STRAVCHIVS r), IO. SCHILTERVS s), fiduciam tanquam pignoris speciem describebant t). Qui scrupulus, ne torqueat progredientes, eximendus erit. Nimirum inter omnes constat, pignoris traditionem, e iuris romani formula, vi plurimum solam custodiam securitatis caussa in creditorem transferre u), et creditorem incusari criminis furti, quando utitur pignore w). Hanc doctrinam non in quo quis pignore procedere, intelligebant Quirites. Nam in quibusdam rebus, tanquam pignus traditis, praeter custodiam non nihil iuri creditori est indulgendum. Si enim res, singularem industriam desiderans, deducatur in oppignorationem: fatendum omnino erit, vim aliquam et potestatem tribuendam esse creditori, ut rem oppignoratam colat arbitrio boni viri. Fingas, rem exemplo illustratus, fingas, seruum oppignorari. Quamvis seruus, e doctrina iuris romani, res sit, non persona: personam tamen hominis retinet, adeoque, praeter vulgaria rerum omnium, peculiaria quaedam iura desiderat. Non sine dedecore seruus oppignorandus traderetur creditori, si tantummodo ab hoc sit custodiendus. Ne diffusat otio, creditor seruo pignoratio iniunget operas; artibus idoneum imbuet artificiis; alimenta praefstabat. Fingas, aliud exemplum subiuncturus, op: pignorari saltum grandem ac talem, qui excoli magnique fieri potest.

o) I. CVIACIVS ad Paul. Rec. sent. libr. II. tit. 13.

p) A. FABERVS de Errorib. Pragm. dec. XXI. err. I.

q) I. GOTHOFREDVS ad L. vn. C. Tb. de comm. rescind.

r) I. STRAVCHIVS de Oppign. Rer. Imp. cap. I. §. 3. et cap. II. §. 5.

s) I. SCHILTERVS Diff. de Iur. Obfd. cap. IV. §. 3. et Diff. de Pacto de Retrov. cap. I.

t) Aequae magnum errorem fouent

CL. SALMASIVS de Modo Vjur. cap. XIII. et ARN. VINNIUS Comit. ad Inst. tit. de act. §. 7. n. 10., dum docebant, fiduciam nihil aliud fuisse, quam hypothecam, et veteres iurumconfutos, vt vocabulo graeco abstinerent, semper fiduciam dixisse pro hypotheca, quam TRIBONIANI manus vbi que reposuit.

u) L. 13. §. 1. D. de pign. act.

w) L. 54. pr. D. de furt.

potest. Eadem, mecum fateberis, saltus oppignorandi erit conditio, quae serui. Quum enim salus rei publicae non permittat, vt res paulo maioris pretii otiosa sit et infructuosa: sequitur, saltum oppignorandum, perinde vt seruum, non iure reliquorum pignorum, nudae custodiae creditoris, sed potius illius usui et potestati relinquendum esse. Obtinebit idem in aliis rebus omnibus, quae culturam exposunt. Dum Romani, non rarer accidere, probe noscerent, vt res oppignoranda boni vi-ri arbitrio colenda sit a creditore: modum adinueniebant iidem, quo facultas libera, pignus colendi, eodemque tanquam re sua utendi, transferebatur in creditorem. Vocabant id pactum fiduciae. Debitor, vi huius pacti, rem creditori, non dicam, tra-debat, quam potius per aes et libram mancipabat, hac tamen lege, vt, nummis creditori restitutis, eadem res a creditore remanciparetur debitori obaerato. Quae quum ita sint: intelliges, illum fuisse appellatum creditorem fiduciarium, qui pignoris dominium cum possessione acceperat, sub hac tamen conditione, vt, sorte reddita, redderet debitori dominium pignoris. Non dubito, fore, quin, perpensis hisce circumstantiis x), cum PAVLO nostro s̄euungas fiduciarium creditorem a pignoratio. Huic enim, donec fortē creditam recipit, saltim pignoris possessio traditur, atque eam tueri potest exceptione pignoratio, siue defensione pignoris, ceu leges loquuntur y). Ille e contra, vsque dum solutio sit, non possessionem, sed dominium rei oppignoratae per mancipationem accipit. Huic a debitore vendi poterat pignus, vtpote manebat in debitoris domino z): illi vero res, sub lege fiduciae data, vendi a debitore non poterat a). Nam per mancipationem in fiduciarii creditoris dominium transibat. Hinc nec eius amplius fieri poterat, nec emtio rei suae valebat b). Iurare auferim, PAVLVM haec momenta habuisse ante oculos, dum dicebat, fiduciam vero et pignora apud se deposita persequi,

L 2

et

- x) Si, alias differentias, nosse aues, obuias inter pignus, fiduciam, hypothecam; adeasquaeso G E R H. NOOTII Observ. libr. II cap. VI. et FRANC. CAR. CONRADI Diff. I. de Pact. Fidue. §. 16. et 20. y) L. 6. §. 9. D. comm. diuid. C. de pign. act. z) L. 12. pr. D. de distraff. pign. a) PAVLVS Rec. Sent. libr. II tit. 13. §. 3. b) L. 16. D. et L. 4. C. de contr. emt.

et sine auctoritate iudicis vindicare non prohibetur c). Decisionis ratio in eo latere videtur, quod vterque habet ius in re, puta, fiduciarius creditor ius dominii; pignoratitius vero ius pignoris, adeo, vt vnuisque eorum non inique, saltim sine armis, sibi occupare possit eam rem, cuius possessio occupata tali creditori post debitoris fugam paulo iustius, ac cuius alii, debetur. Subit e contra, iuxta PAVLI nostri doctrinam, creditor chirographarius poenam legis Iuliae de vi priuata, quando *sine Praefidis iussu per vim accepit debitoris sui pignora, quum non haberet obligata.* Non incongrue. Dignus enim est elogio furis improbi. Se ipsum namque fallere nequit chirographarius creditor, qui, quum probe nosceret, bona, quae debitor, fuga instituendo iudicio concursus creditorum ansam dans, deseruit, ad se non pertinere: nihilominus tamen, post fugam, fraudatoris compertam, res quasdam ex huius patrimonio abripit, vt sibi in iis propria vi constituat pignus d).

XXIX.

Vlterior eiusdem rei meditatio.

Clamitat dubio procul turba eruditorum forensis, cur quæso in subsidium vocas locum PAVLI, quem suae compilationi inserere TRIBONIANVS dubitabat. Prodis hac ratione ma-

c) Interrogas, qua quæso ratione PAVLVS scribere potuit, *creditorum vindicare fiduciam et pignora apud se deposita*. Absurda tradi, dicas; vtpote tantummodo vindicamus rem, quam non habemus, vt eam extorqueamus a possessore. Intelligit, vt ego quidem arbitror, PAVLVS res depositis ab initio, quarum vero possessionem postea amisi. Alia ratione, ac egomet, dubium soliebat M. AVR. GALVANVS *Diss. de Vsigfr. cap. XL.*

d) Aut fallor, aut, mili obstat L.3. C. de pign., asseris, qua credidores, propria vi et potestate pinguis occupantes, vim fecisse, rescriptum est. At supponit lex, pacatum interuenisse, vt, quando debitor stata die non soluerat numeros creditos, creditori licet posse fissionem propriæ auctoritate ingredi. Conf. IAC. LECTIVM ad MODEST. de Poen. p. 137. tom. I. Thes. Iur. CIU. EVERH. OTTONIS et I. H. BOEHMERI Exerc. XXXII. ad pand. cap. I. §. 39.

malam causam. Ut dubium hoc tollam, iunxisse, e re mea erit, testimonium **MODESTINI** dicentis e):

si creditor sine auctoritate iudicis res debitoris occupet, bac lege tenetur, et tertia parte honorum multatur, et infamis fit.

Creditorem litteralem, qui, licet sine armis, tamen non iudicis auctoritate, sed vi propria, res debitoris prehendebat, recitatis **MODESTINI** verbis contineri, intelligimus ex eo, quoniam iure-consultus discriminis, quod eius aeuo inter pignus et fiduciam adhuc conspiciebatur f), nullam mentionem inicit, et nihilominus tamen creditorem, indefinite positum, ista poena coerceri vult, a qua et fiduciarii et pignoratitii creditores immunes erant, quamque e contra chirographarios subire, vidimus, quando, sine iudicis auctoritate, res debitoris, fuga ansam iudicio cursus instituendo dantis, occupantes committunt crimen violentiae. Tametsi caeteroquin **MODESTINVS** noster generatim dicat, *bac lege tenetur: dubio tamen caret, quin is intelligat poenam legis Iuliae de vi priuata. Scιunt enim omnes, publicationem tertiae bonorum cum infamia iunctam fuisse poenam legitimam reorum, lege Iulia de vi priuata damnatorum g).*

Non vero hac ratione transactum erit totum negotium. Quaeris, quo sodes iure introducta est doctrina hucusque tradita? Eruditi non pauci putant, hanc poenam, lege Iulia definitam, ad creditores litterales, sine iudicis iusu, bona quaedam debitorum propria vi auferentes, introductam esse per inclutu decreto diui MARCI. Quo haec assertio specie veri se commendet, **IUSTINIANVM** sustinet tanquam testem omni exceptione

L 3

ma-

e) *L. vlt. D. ad L. Iul. de vi priu.*f) *Pactum fiduciae non ante IUSTINIANI tempora ab usu recepsit, cœu visum erat CL. SALMASIO de Modo Vſur. cap. XIII. Nec id tollebatur CONSTANTINI constitutione de lege commissoria rescindenda, vt IAC. CVIACIVS ad PAVLISent. Rec. libr. II. tit. 13. gubern. credidit, cui vero ANTON. SCHVETTINGIVS ad PAVLIG)*

Sent. I.c., 1A C. GOTHOFREDVS ad L. vn. Cod. Theod. de leg. comm. refc., et C. F. CONRADI Exerc. II. de Paſt. Fiduc. §. 17. curate reſpondebant. Euaneſiebat deum, ipſis mancipatiōnū ſolemnitatibus, ac differentiis rerum mancipi et nec mancipi ſublatis. Vid. IOACH. POTGIESERI Tr. de Indole et Nat. Pign. ſect. II. c. 1. §. 13.

maiores h). Praeclare! quasi vero IUSTINIANVS nunquam aliis legumlatoribus illuserit, nec quicquam iis adfixerit, an infirmitatis morbo, non inquiram, an iudicij imbecillitate? Si vero paulo curatius verba decreti diui MARCI ponderamus i): fatendum omnino erit, legislatorem optimum nec dixisse, nec cogitasse de tali poena inferenda creditori litterali, qui, spreta iudicis auctoritate, sibi ius dicere non inuercunde audebat, occupans res e patrimonio debitoris, qui fuga ansam dedit, ut creditores vrgentur, quo institueretur iudicium, de quo loquor. Accedit, quod, quem diuis MARCVS meminerit poenae leuoris, subeundae ab eiusce generis creditoribus, credendum omnino sit, quod idem is Imperator optimus et mentionem inieceret poenae iusto atrocioris, quando, ex ipsius voluntate, ea plectendi forent creditores, de quibus est sermo. Nescio, an addam, leges Iulias aerario augendo et fisci rationibus promouendis fuisse excogitatas? Aduersatus vero est diuis MARCVS fisci incrementa k). Si igitur MARCVS voluisse, ut, de quibus loquor, creditores coercendi essent poena legis Iuliae de vi priuata: aut a genio suo recessisset, aut falsa de ipso attulisset IULIVS CAPITOLINVS, dum scriptum posteris relinquebat l), fuisse morem istum Antonino, ut omnia criminis minori supplicio, quam legibus plecti solent, puniret. Num quaeaso, ponderatis hisce momentis non contempnendis, crederes, diuum MARCVM voluisse iussisseque, ut poenam legis Iuliae de vi priuata subirent creditores litterales, qui priuato molimine et ausu temerabant sacra debitoris fugitiui, occupandis quibusdam rebus? Egomet nullus crediderim. Suspicor potius, iuriuconsulitos veteres, qui viuebant post diui MARCI aetatem, interpretatione sua reos fecisse legis Iuliae de vi priuata omnes creditores, qui, sine iudicis iussu, occupauerant res debitoris obaerati. Ratio autem, qua iuriuconsulti alliciebantur, ut id docerent, hisce verbis decreti diui MARCI latere videtur, *tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur?* Vis est et tunc, quoties quis id, quod

h) Nov. LX., pr. cap. I.

i) Leguntur L. 13. D. quod metus caus.

L. pen. D. ad L. Iul. de vi priv.

k) De quo docte plura attulit IOH.

CORASIVS ad L. 39. D. de adopt.

Legas EIVS Op. tom. I. f. 264.

l) Vid. IULII CAPITOLINI M.

Anton. Philos. cap. XXIV.

quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. Hoc enim admissio, quod quis vim inferat, quando rem capit non exspectata iudicis sententia: sequebatur, ut is, qui id perpetrauerat, incideret in poenam legis Iuliae de vi priuata.

XXX.

Indicantur non modo remedia, quibus res debitoris vi ablatae reuocantur a creditoribus, sed etiam inquiritur, an creditores, iis sibi dicentes, puniantur amissione crediti?

Quibus vero actionibus conuenientius erit, qui, quum prospediem iudicium concursus creditorum excitatum iri timeat, posthabitis remedii legitimis, id, quod sibi deberi putat, acquirere vult, et, rebus quibusdam e debitoris fugitiui patrimonio ablatis, ius in debitorem obaeratum statuit? Dubio caret, quin creditores, de quibus loqua, teneantur actione vi bonorum raptorum, si vi inuadunt res mobiles debitoris, fuga salutem quaerentis, ac vnam alteramue rem auferunt. Versantur enim in eo dolo, qui coniunctus est cum vi m). Voluit insuper Praetor, vt hac actione conueniamus omnes, qui alienas res occupant n). Sin vero tales creditores vi eripiunt res immobiles debitoris obaerati: aliis remedii vt is vtatur, necesse est, qui, moto concursus creditorum iudicio, curator bonorum constitutus fuerat. Ut configiat, suadeo, aut ad rei vindicationem; aut ad interdicta vnde vi, vel quod vi aut clam; aut ad condictionem fundatam in recentiori quadam constitutione, quam debemus VALENTINIANO Imperatori o). At si creditores, de quibus loquor, incusari nequeunt vis adhibitae in auferendis quibusdam rebus post fugam debitoris obaerati: conueniri poterunt interdicto non quidem vnde vi, sed vti possidetis, aut vtrubi.

Ter quaterque felicem se praedicaret creditor litteralis, quando vna alteraue actione conuentus tantummodo ad istas res resti-

m) Arg. L. 2. §. 2. D. de vi bon. rapt.

o) L. 7. C. vnde vi.

n) Princ. I. tit. eod.

restituendas adigeretur, quas, adhibita vi, occupauit post fraudatoris fugam. *Quisquis enim, sunt verba diui MARCI p), probatus milie fuerit rem villam debitoris vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo iudice temere possidere, vel accepisse, isque sibi ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit.* Quae situm esse, memini, an creditores litterales tunc demum poenam, ex hoc diui MARCI decreto, subeant, quando, fuga debitoris obae- rati comperta, vi rem pecuniamue ipsis debitam auferunt? an vero iidem memorata poena sint coercendi, quum, sine iudicis auctoritate, dolose eripiant res sibi non obligatas?

Memorat recitato decreto diuus MARCVS duo substantiua, puta, *res et pecuniam.* Iungit adiectuum *debitam.* Videlur proin legislator optimus, istos creditores litterales dignos esse poena legitima, qui, aut res, aut pecuniam debitam priuato ausu, crediti recuperandi ergo, abripiunt, eamue, quam iudice implorato debebant vindicare, inuidunt post debitoris obae- rati fugam. At quum sanctio- nis poenalis ratio generalis sit, ne scilicet creditor talis, priuato molimine res occupans, ius sibi dicat: fatendum omnino erit, debitorem nostrum subire poenam e decreto diui MARCI, siue res, pecuniamue debitam abstulit, siue occupauit non obligatas. Iniquum me hercule foret, quando melioris conditionis esset creditor, eripiens res non obligatas, quam obligatas. Nam in creditoribus, qui res obligatas post debitoris fugam, hinc imminentि concursus iudicio, priuato molimine auferunt, color aliquis adesse videntur, ac iusta causa excusationis, quae autem deest in illis, qui res non debitas auferunt. Modum denique noscere, aues, quo creditores nostri amittunt crediti ius. Num ipso iure? an vero opus erit iudicis sententia? Ius crediti in nostra specie, opinor, amitti ipso iure, dummodo constat, vim adhibitam fuisse a creditore, res propria vi et potestate occupante. Ut ita sentiam, me in primis mouent haec verba decreti, *ius crediti non habebit.* Quum enim ex aliis iuris ciuilis textibus constet, verbum temporis futuri denotare praesens q): aut fallor, aut allata verba indicant poenam, quam vi constitutionis diui MARCI subeunt creditores, licet

p) L. 13. D. quod metus causa.

q) Arg. L. 8. D. de verb. signif.

licet eam ipsis iudex non iniunxit sententia ferenda. Obiiciunt quidem secus sentientes r) verba decreti, *quisquis probatus mihi eris*. Dicunt, haec verba postulare aequum iudicium ac sententiam, nec inauditum damnandum esse. At dubium hoc, arbitrator, nullius momenti esse. Supponunt namque verba mihi opposita, abnegari a creditore vim adhibitam. Si hoc cognitione opus est. Iudex, simulac post institutam caussae cognitionem intelligit, vim fuisse adhibitam, pronunciat, crediti ius amisisse creditorem nostrum in ius vocatum. Dispar vero est ratio eius speciei, quando indubium est, vim a creditore esse adhibitam. Hoc casu nec desiderat legislator cognitionem, nec probationem, nec sententiam. Ipso iure creditor amittit tunc ius sui crediti. Cui usui, instas. Me et chartam et tempus perdere, putas, quoniam, doctrinam de poena ius sibi dicentis usu antiquatam esse, dicunt ANDR. CLVDIYS s), PAVL. CHRISTINAEVs t), SIM. a GROENEWEGEN u), IO. VOETIVS w), AD. STRUVIVS x), IVST. CLAPROTHIVS y). — Qui ita loqueris: nescis, causam doctrinae, de poena ius sibi dicentium non abrogatae, defendisse IAC. BRVNNEMANNVM z), NIC. a LYNCKER a), IO. HENR. de BERGER b), BALTH. de WERNHER c), SAM. STRYCKIVM d), ORTW. WESTENBERGIVM e). Alios plures omitto.

XXXI.

- r) IAC. MENOCHIVS *Remed. Rec.*
Poff. rem. V. n. 67., 1. H. BOEHMERVS *Diff. de Poena ius sibi dicente*, cap. I. §. 20., BVRCH. BARDILI *Diff. ad L. si quis in tantam. 7. C. vnde vi*, c. III. §. 49.
- s) A. CLVDIUS *de Condict. furt. cap. XII. n. 19.*
- t) P. CHRISTINAEVs *Volum. II. dec. 184. n. 4.*
- u) S. a GROENEWEGEN *de Leg. Abrog. ad §. 1. I. de vi bon. rapt.*
- w) I. VOETIVS *ad Dig. tit. quod met. cauf. §. 17.*
- x) A. STRUVIVS *Exerc. 45. §. II. 4.*
- y) I. CLAPROTHII *Diff. de Non Vju Decreti D. Marci et poenae*
- privationis in viam facti statutae.
Iungas autem ANONIMI monita
inserta lenaischen Beiträgen zur
neuesten gelehrten Geschichte, auf
das Jahr 1757. p. 123
- z) I. BRVNNEMANNVS *ad L. 7. C. vnde vi.*
- a) N. de LYNCKER *de Grav. Extra-iud. cap. IX. part. II. §. 44.*
- b) I. H. de BERGER *Elect. Disc. Forens. p. 152.*
- c) B. de WERNHER *I. c. tom. I. obs. 203.*
- d) S. STRYCKIVS *Vf. Mod. tit. quod met. cauf.*
- e) O. WESTENBERGIVS *Diff. ad conf. D. Marc. 32. §. 48.*

M



XXXI.

Immunitis vero a poena est creditor, qui fugitiuum debitorem persequitur, nec tamen restituit pecuniam debitori ablatam imminenti concursus iudicio.

Non incongrue, opinor, IVSTINIANVS debitorem fugitiuum nominabat ἔπος κατηγορία, sui ipsius accusatorem f). Sciunt enim ac plorant creditores, se deludi turpiter istius perfidia, dum euadebat, erumpebat, excedebat. Quare nulli creditorum fraudi erit, debitorem frustrantem, et fuga sibi consilentem, aequo persequi, ac iniecta manu auferre numeros, quos fraudator secum portabat. Qui pecuniam, quam fecum ferebat debitor fugitiuus, recuperat, ac auferit illi id, quod ipsi debetur, eadem ratione excusabitur, qua excusabatur olim creditor, qui, sine iudicis notione, debitorem coegit, ut exsolueret quantitatem debitam g). Inciuilem, fateor, hodie esse hanc viam et extraordinariam. Ac inciuile aequo est, si non probaueris, quod fecit creditor, dum sibi vigilabat, suum ut seruaret sibi, cuius amittendi in summo periculo verfabatur debitore fugiente. Nec leges improbant omnem vim. Magis necessario, quam libenter, vim faciebat creditor nosfer; magis coacte, quam ciuiliter. Quo enim remedio experietur is aduersus fugitiuum debitorem, qui nec iuris, nec ordinis spatium relinquebat creditor? Caeterum, ob interueniens periculum, puto, id locum habere non modo, si debitum primum adest, sed etiam si istud contractum est in diem h). Quid? quod idem, ni fallit animus, ius a debitore fugitiuo eripiendi pecuniam debitam, nec denegari poterit cessionario, si modo instrumentum a debitore exaratum, quod ipsi creditor cedens tradidit, mentionem iniciat cessionis in ipsum factae. Non sufficit sola possessio instrumenti, in quo mentionem cessionis desideras, quando cessionarius, fraudatorēm in fuga persequens, animo satagit, eripiendi quantitatem debitam. Nam tanto

f) Nov. LIII. c. IV.

g) L. fin. §. fin. D. quod metus caus,

h) Vide IOH. BAPT. CACCIA-

I VPI Tr. de Deb. susp. et fugit.

qu. 3. n. 1 sq., G. A. STRVVI D.

de Vind. priu. §. 39.

tanto certius est, cessionario alias opponi posse exceptionem, tu in instrumento non es nominatus i): quanto magis fieri potuerit, vt, quod manu tenet, instrumentum acceperit ex longe alia, quam cessionis, causa, velut depositi k). Rationem caeteroquin in hac indulta vindicta priuata deteges, quare iurium consulti non infimi subsellii contendunt l), ius esse, vt creditor noster priuatis carceribus debitorem fugitiuum detineat, si deficiunt publici carceres. Ne vero incidat in poenam legitimam carceris priuati m), auctor sum, vt ne yltra vigenti horas detineat debitorem.

Quid vero iuris est, quando, consumtis et adesis bonis, plurium creditorum debitor, fugam adornans, res perplures secum adportabat, ac ab uno creditore vigilante insequebatur, cui debitam quantitatem dedit? Num quaeso pecunia, quam vigilans creditor fraudatori fugitiuo eripuit, in caeterorum fraudem oblata videtur? Num creditores non vigilantes vrgere possunt, vt, quam vigilans creditor obtinuit, quantitatatem solutam in commune conferat? Sunt, qui creditori tantummodo permittunt persequitionem debitoris fugitiui, quando penes se habet pecuniam creditam, et cum ea aufugit n). Alii e contra volunt, vt, quos a decoctore et euersore patrimonii fugitiuo abstulit, quibusque quantitatem debitam extinguere annifus est, nummos indicet iudici, restituatque o). Eximunt tandem alii creditorem vigilantem ab onere in commune conferendi ablata pecuniam debitam p). Quaenam tibi arridet sententia?

M 2

Quae-

- i) DAV. MEVIVS Tr. de Arrest. cap. X. n. 6. EL. AVG. STRYCKIUS Diff. de Adpreh. Debit. Fug. c. VII. n. 18.
- k) Euolvas, si placet, CHR. LENTZI Diff. de Cess. Nom. cap. 27. m. 9. n. 7., SAM. STRYCKII Tr. de Cautel. Contract. fact. IV. cap. II. §. 18.
- l) Conferas ANT. FABERI Codic. Defin. Forens. lib. IX. tit. V. def. 1. PETR. CHRISTINAEI Dec. cit. Vol. IV. dec. 105. n. 19., CHR. FRID. HOLLANDI Tr. de Arrest.
- cap. IV. tb. I., IOH. ANDR. FROMANNI Diff. de Fugae Iust. et Injust. §. 41. sq.
- m) L. i. C. de priuat. carc.
- n) I. E. CACCIALVPI l. c. qu. 4. n. 12.,
- o) MATTH. BERLICHIVS Concl. part. I. concl. 13. n. 26. MATTH. COLERVS Proc. Execut. part. I. cap. 3. n. 124.
- p) DAV. MEVIVS ad Ius. Lubec. part III. tit. I. art. IV. n. 3. HENR. de COCCII. Diff. de Fuga cap. II. n. 12.

Quaenam? Qui hanc doctrinam ex regulis aequitatis metitur: is necum in illorum sententiam abit, qui, a nummis, debitori fugitivo ablatis, in commune conferendis, immunem esse creditorem nostrum, dicunt. Nam reliqui creditores de injuria sibi illata conqueri non possunt, utpote rerum iusto incuriosiores non occuparunt nummos, quos nostri creditoris vigilancia eripuit creditori fugitivo. At distinctio quaedam, ex formula iuris romanii, adhibenda erit, si iudicium de hac controversia ferre cupis q.). Nam si prius, quam creditores in possessionem bonorum debitoris mittebantur, et quam iudicium concursus mouebatur, abstulit vigilans creditor id, quod sibi debebat debitor fugiens: cessabit omnis actio aduersus creditorem, de quo loquor. Sibi enim vigilabat. Nulla fraus, nulla vis ipsi imputari poterit. Iure debitorem fugientem, ac nummos debitos secum ferentem, sistebat, eique auferebat, quod debebat. At quando post missionem in possessionem bonorum, id est, post excitatum concursus iudicium, creditor vigilans debitorem, qui pedem struebat, insequebatur, atque sic iniecta manu eripiebat quantitatem debitam: ius creditoribus reliquis, per missionem in possessionem bonorum debitoris, quae situm nec minui, nec tolli, nec vila ratione effici poterit; quo minus pecunia, debitori fugienti erecta, reuocetur.

Hae sunt, lector beneuelle! meditationes, de reuocandis tam rebus alienatis, quam nummis solutis, imminentि aut moto concursus iudicio, quas tecum communicare hoc tempore volui. Nam, quae praeterea dicere poteram, ea instituti occasio non patitur, quam semperpraetendunt, qui nesciunt plura scribere.

q) L. 10. §. 16. D. quae in fraud. cred.


Ko 3220 E

ULB Halle
005 713 366

3



VD 78



B.I.G.

D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII

IVRIS CONSULTI ET ANTECESSORIS
IN ACADEMIA IULIO-CAROLINA

LIBELLVS SINGVLARIS

D E

REVOCANDIS TAM REBUS
ALIENATIS QVAM NVM MIS
SOLVTIS IMMINENTI AVT MOTO
CONCVRSVS IVDICIO.



HELMSTADII.

TYPIS ET IMPENSIS IOANNIS HENRICI KÜHNLIN
ACAD. BIBLIOP. MDCCCLXXVII.